



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



ULRICI HUBERI
DE
RATIONE JURIS

docendi & discendi

DIALOGUS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München



FRANQUEURÆ,
Ex Officinâ JOH. GYSELAAR, Illustrum
Frisiæ Ord. & eorund. Acad. Typogr. Ord. 1684.

ULRICI HUBERI
DE
RATIONE JURIS
docendi & discendi
DIALOGUS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München



FRANEQUERÆ,
Ex Officinâ JOH. GYSELAAR, Illustrum
Frisiæ Ord. & eorund. Acad. Typogr. Ord. 1684.

didi, quam ostendere, nihil in eo
 à nobis esse actum, nisi ut sen-
 tentiam, de re ad utilitatem ve-
 stram pertinente, juxta alios in-
 nocuâ libertate dicerem. Si ar-
 gumentum præsumere vultis; est
 heic Colloquium in horto Clarif-
 simi *Bökelmanni* apud Lugdunum
 Bataviæ ante complures annos
 habitum; cui occasionem dedit
 ejus Collega *Crusius* vir egregius,
 qui satis acri oratione *Compen-
 dia Juris civilis in privatis scholis*
adhiberi solita insectabatur, eo-
 rumque loco studiosos inde sta-
 tim ab ingressu auditorii legere
 eorum jus antiquum obvialque
 difficultates & ænigmata confe-
 rendo, conciliando, emendan-
 do, interpungendo, omnique
 alio

P R Æ F A T I O.

alio criticæ artis instrumento solvere volebat. Quas res *Bökelmannus* nonnisi ab illis, qui prius universum jus paratitlari methodo prompte valideque didicissent tentari suadebat. Rationes eorum diversis vicibus commutatas agitataeque, non sine punctationibus aliquando jocisque, sicut erant homines liberi oris animique, salvâ tamen dignitate, videbitis, & de meritis singularum existimabitis. Me quoque tandem vocaverunt in partes, nec aliud à me dictum, nisi quod rationes docendi discendique juris varias, inde à Justiniani ævo recensuerim, atque exinde, quæ mihi præstantissima videretur, collegerim; denique usum abusumque

P R Æ F A T I O.

que critices, quam vocant, in
Jurisprudentiâ demonstraverim.
Postremo, rogante *Hadriano Wijn-*
garden Icto, qui nobis aderat,
atque tum scholas domesticas
Lugduni habere instituebat, to-
tum studii juridici cursum, sicut
ego illum studiosis præeundum
censeo, simplici orationis filo di-
mensus sum. Donec *Bökelmannus*
prolato ephemeridum literatarum
libello, has disceptationes abru-
pit, eaque occasione de instituto
illorum diariorum sive novel-
larum paucis inter nos actum. Le-
gite sultis, & valete.

U L

P R Æ F A T I O.

alio criticæ artis instrumento solvere volebat. Quas res *Bökelmannus* nonnisi ab illis, qui prius universum jus paratitlari methodo prompte valideque didicissent, tentari suadebat. Rationes eorum diversis vicibus commutatas agitataeque, non sine punctationibus aliquando jocisque, sicut erant homines liberi oris animique, salvâ tamen dignitate, videbitis, & de meritis singularum existimabitis. Me quoque tandem vocaverunt in partes, nec aliud à me dictum, nisi quod rationes docendi discendique juris varias, inde à Justiniani ævo recensuerim, atque exinde, quæ mihi præstantissima viderentur, collegerim; denique usum abusumque

P R Æ F A T I O.

que critices, quam vocant, in
Jurisprudentiâ demonstraverim.
Postremo, rogante *Hadriano Wijn-*
garden Icto, qui nobis aderat,
atque tum scholas domesticas
Lugduni habere instituebat, to-
tum studii juridici cursum, sicut
ego illum studiosis præeundum
censeo, simplici orationis filo di-
mensus sum. Donec *Bökelmannus*
prolato ephemeridum literatarum
libello, has disceptationes abru-
pit, eaque occasione de instituto
illorum diariorum sive novel-
larum paucis inter nos actum. Le-
gite sultis, & valete.

U L



ULRICI HUBERI

DE

Ratione, docendi &
discendi Juris,

DIALOGUS.



Æpe mihi venit in mentem, Auditores Ornatissimi, ambigere, qui fiat, ut, cum ad Artes studiorum facultatesque doctrinæ opus est Antecessoribus in scholis illustribus atque in Academiis, adeò pauci ad eam rem administrandam idonei reperiantur, quique reperti sunt tam raro auditorum Mæcenatumque expectationi satisfaciant; maximè, cum, ut hodiè res sunt, Academicæ functiones istæ paulo feliciter tractatæ, nec honoribus suis neque commodis, quibus

A

bus

2 *De Ratione docendi & discendi*
bus, ut ajunt, aluntur artes, carere vi-
deantur, adeoque parum absit, quin id
præsent, quod olim Marco Tullio in
summâ votorum fuisse legimus, ut in
otio cum dignitate vitam sibi transigere
liceret. Verum hæ rationes non faciunt,
ut difficile sit, re diligentius expensâ,
causas reddere, quæ Professiones Aca-
demicae tam paucos habeant sibi pares,
à quibus cum aliquo gloriæ publicæ-
que approbationis fructu exercentur.
Nam primo omnium ex immensâ mul-
titudine adolescentium, qui ad capien-
dum ingenii cultum mittuntur in Aca-
demias, satis constat, esse paucissimos, quos
æquus eò usque Jupiter amaverit, ut in-
genio memoriaque valeant ad ejusmodi,
apparatum eruditionis acquirendum,
quem ad docendas artes literarum scimus
esse necessarium. Quorum autem inge-
nia quandoque suffecerint, horum volun-
tatem fere ab ea studii intentione, sine
qua excellens doctrina haberi nequit,
remotissimam esse videntur. Ut autem
sint, quibus & naturæ vis & patientia
laboris adest, his plerumque fortunæ
ratio-

rationes, sive angustæ sive hilarioris, negant tam longam discendi moram, ut ad arduum docendi munus, per legitimos studiorum gradus maturescere queant. Denique ex iis, quibus omnes hæc opportunitates consilii tam generosi copiam faciunt, bona pars, vel fato, vel Judicii aut opinionis errore deflectunt à viâ rectâ seque itineri committunt, quo nunquam ad verum doctrinæ sacrarium enitiatque penetrare possunt. Id autem sæpe mirari subit, quod, cum omnis difficultas in perceptione memoriaque rerum, quæ in singulis disciplinis traduntur, consistere videatur, in ordine modoque discendi atque docendi tanta varietas & confusio ac inde proficiendi impedimentum, bonis mentibus objiciatur. Cum hæc de re non ita pridem, quod ad Jurisprudentiam attineret, inter aliquot Juris Studiosos orta esset disputatio, laudantibus, ut fit, singulis suorum Præceptorum rationes, impetus me cepit, idque tum præmetuli, fore ut in scriptum redigerem, meisque Auditoribus traderem,

4 *De Ratione docendi & discendi*

argumenta Colloquii, quod olim mihi cum *Iohanne Friderico Bökelmanno* & *Georgio Cunrando Crusio* Antecessoribus Luduno-Batavis, super hoc ipso negotio intercesserat. Cum *Bökelmanno* familiariter Heidelbergæ in honestissimâ studiorum æmulatione jucundoque amicitia commercio vixeram. *Crusius* in *Academia Franekeranâ Wissenbachio* nostro operam dederat, dum ego illic rudimenta Professionis Historicæ deponerem. Atque deinceps arctior inter hos consuetudo invaluerat, cum ad accipiendum doctrinæ titulum in *Franekeranam* ille se contulisset. Digressus eram feriis æstivis in *Batavos*, nec committendum putabam, quin *Lugdunum* ad homines amicitia tam Veteres candidosque visitarem. Peracto apud *Bökelmannum* primi congressus officio, multus inter nos sermo de rebus antiquæ jucundissimæque consuetudinis Palatinæ fuerat; donec *Crusii* interventus ad promiscua de rebus obviis colloquia sermonem avertit. Quæ tandem interrumpens *Bökelmannus*; sunt, inquit, amici aliquot suaviores,

ve-

vestrisque, ni fallor, moribus egregie convenientes, qui prandium mihi apud piscinam meam condixerunt; Rogo, comites vos & convivas, & si libet, confabulones præbeatis. Annuentibus nobis, rhedam ejus pensilem, quam habebat more beatorum hominum, conscendimus, brevique itinere villam ejus urbanam ad antiquum Rheni littus ingressi, convivas illic, scaphâ recens advectos offendimus. Inter quos præter *Wijn-gardenium* Auditorem olim meum, neminem mihi notum reperiebam. De apparatu & tralatitiis epularum solennibus fabulisque nihil referam; sed mensis sublatis, animisque à sedentariâ fatione, per hortum ambulando, recreatis accidit, ut nobis quatuor, nam *Wijn-gardenius* se adjunxerat, sub platano quadam confidentibus, sermo per ambages ad inquisitionem de statu Academiarum studiique juridici modo methodo deduceretur. De statu Academiæ frequentiaque fidenter illi & magnificè loqui, nec obscure mirari se meas rationes, quæ fecissent, ut tam il-

Iustri theatro me subduxissem; tamen si, ut erat hominum candor & liberalitas, videri volebant, eo factum esse, ut ipsis locus tanti honoris & emolumentum paruisset. Inde *Crusius* de meis Digressionibus, quas superiori anno de prælectionibus ad Institutiones Justinianeas excerpissem incipere, laudabat earum institutum, etsi nonnulla visum mihi esset in illis collocare, quæ ab ipsius sententiâ iudicioque abhorrerent, de quibus indicabat, se per literas mecum agere constituisse, nisi nunc faciendum mihi videretur, ut coram de illis familiariter disceptaremus. Ego non recusare, sed *Bökelmannus* & *Wyngardenius* intercedebant, eo quod iste locus, & congressus ad disputationes de opinionibus juris, sententiisque discrepantibus parum idoneus neque factus & institutus videretur. Atqui, regerebat *Crusius*, non erat, quod scholasticas argumentationes de magistralibus controversiis aut profundis legum sensibus ac antinomiis, expectaretis. Neque meum, nec Huberi ingenium animique voluntas ad eiusmodi contentio-

tiones, hoc præsertim tempore convivalis jucunditatis inclinabat. Sed agite, quando ita videtur, discrepantiis nostris, etsi humanioribus atque ad literas politioris spectantibus abstineamus; de communibus tamen studiis colloquinihil veat; quid enim potius sit, quod sub hac platano, quæ mihi ad dialogos literas consecrata videtur, agamus non video. Nihil abnuere cæteri. Quare *Crusius*, Haud facile dixerim; *mi Hubere*, pergit; quam mihi volupe fuerit, animadvertere è tuis Digressionibus, te non esse & eorum numero, qui systemata nobis & compendia Jurisprudentiæ, quæ nihil quam totidem dispendia sanctissimæ artis sunt, omni die obtrudunt & secundum ea juventutem sibi commissam instrunt an corrumpunt. Verum id mihi præter expectationem accidisse fateor, quod in omnibus quatuor libris observationum illarum humaniorum, non inveniidi in ullum specimen emendandi textus vitiosos Juris nostri; cum tu ignorare non possis, dari adhuc plurima loca quæ in tumibus scripturæ mendis hæcant;

& videmur jure quodam nostro expectare, dum Tu illud studium crisco Juridicæ jam pene situ & lualor obstum & oblitteratum, inter pauco: alios excolas, atque in usum honoremque pristinum reducas. Cujus institut propositique nulla me vestigia in hisce tuis Digressionibus, quæ nihil aliud fere, quam Observaciones Juris Humaniores continent, reperisse, non potui quin agrè ferrem. Nescio enim quic taciti argumenti hocce tuum de criticis silentium, in tali opere præse ferre vilerur, non esse tibi consilium. hanc docendi juris viam insistere, quæ per examet omnium veteris Jurisprudentiæ locoum in emendatione textuum depravatorum desinit, ac ita nobis antiquam Artem itori suo genuino integritatque restituit. Nam si hoc in iis meditationibus, quæ pertinent ad politiores literas cum Juisprudencia conjungendas, faciendum non putasti, quando & ubi fas sit hoc à te ræstolari, mihi quidem non venit in mentem. Eaque res tanto minus expectaa mihi contigit, quod jam olim, cum adhuc in

genere Historico versare, criticis emendandi conatibus non abstinueris; siquidem recordor, te in dissertationibus, quas edidisti de *Temporibus ante Cyrum* observasse nec non correxisse vitia in locis quibusdam *Diodori Siculi* atque *Orosii*, quæ nec cum ipsis nec cum aliis incorruptis rerum gestarum monumentis convenire judicabas. Deinde verò cunctis bonæ mentis amatoribus optimæ spei signum extulisse videbaris in oratione, quam habuisti, cum ex Eloquentiæ & Historiarum Cathedrâ solenniter in Juridicam transires. Id enim unice in universa Oratione illâ agere videris, ut conjunctionem politioris criticæque literaturæ cum Jurisprudencia studio sis inculcares. Proinde gaudeo hanc occasionem mihi oblatam esse, quâ consilii hujus occasionem de te ipso cognoscerem, sperans futurum, ut quid vis potius quam instituti adeò præclari mutationem in causa tibi fuisse intelligam. Duæ res sunt, ita regerebam, Clarissime Crusi, ad quas responsum debeo; Prima, quod tibi mihi que gratularis, me potius edidisse *Digressiones à Prælectionibus Justinianicis*,

A s

quam

quam systematicum Institutionis Imperatoris, Compendium; Alterum, quod in Digressionibus meis spem tuam de criticis observationibus, quæ huic operi in primis convenire viderentur, fefellerim, Quamquam autem contentus esse poteram eâ laude, quam mihi in invidiam systematum & compendiorum adscripsisti, habeo tamen rationes, quare nec hac in parte tibi penitus adsentiri possim vel debeam. Parantem de hoc instituto sententiam meam pluribus verbis exponere, *Bökelmannus*, comprehensâ leniter manu meâ; Quintu, mi Hubere, quod ad hoc caput attinet, inquit, huic homini cede tuas partes; nam id ego meliori jure vindicare mihi debeo, ad cuius invidiam vel contemptum, hæc orationis *Crusianæ* pars, si quid inde contemptus invidiæque potest oriri, in primis redundat. Novimus nos inter nos *Crusius* & ego, atque libertatem oris animique ejus, utpote *Zutfaniensis* ego vicinus *Westphalus*, & jam Collega familiarisque amicus tam bene perspectam habeo, ut nec ego causam irascendi ha-

habeam, quod coram instituta mea vituperat, nec ille sit ægre laturus, si pari libertate rationes ejus refellam; libentius id Te communi amico præsentem & arbitro facturum, quam si cum solo ipso vel seorsim apud ignotos aut minus intelligentes faciendum foret. Æquum Bökelmannus petere videbatur, ideoque cessi, & cum desiderio meo respondendi Crusio transigendum putavi, donec illi de compendiis & systematibus absoluisent, id unum stipulatus, ut quam æquitatem animi præ se ferret Bökelmannus, hanc uterque in orationis progressu fideliter præstaret. Utroque blando cum risu annuente, Si quid mihi, pergit Bökelmannus, succensendum hac causâ foret, non immerito queri possem, sparsos jam pridem nimis odiosos in vulgus rumores & peno jam in dicterium abiisse, compendium Bökelmanni nihil esse quam *dispensium*; forte an etiam conquererem, nisi eventus me compendiumque meum absolveret, omnemque dolendi causam publici applausus frequentiaque gloria præcideret; nam fas est, opinor, magnifice

fice loqui adversus contemnes & calumnias invidentium compescere jactantia; nec scio, an non brevi continuis auditorum meorum flagitationibus, de compendio meo typis publicis evulgando, morem gerere debeam. Sed adhuc quidem *Crusi* doctissime, de compendiis & institutione methodicâ Juris, qua utimur, nihil quam dicta peremptoria, summasque inrisionum & scommata percepi, nec satis discernere potui, sitne vobis propositum omne genus compendiorum & syntagmatum eliminare, vel an in meo libello sit, quod displiceat & quod ad severioris disciplinæ legem emendatum cupiatis. Quod si placet, ut hac quæstione defungamur, faciendum tibi censeo, ut de hoc genere totam animi tui sententiam & quo pacto in docenda juventute procedendum putes, exponas. Cum enim Tu Actoris, ego Rei partes sustinere videar, non habet res facultatem, ut defendendi rationes incantur, antequam litis intentio apte, certo, clare peracta & absoluta fuerit; siquidem hæc tres proponendæ in-

ten-

rationes, sive angustæ sive hilarioris, negant tam longam discendi moram, ut ad arduum docendi munus, per legitimos studiorum gradus maturescere queant. Denique ex iis, quibus omnes hæc opportunitates consilii tam generosi copiam faciunt, bona pars, vel fato, vel Judicii aut opinionis errore deflectunt à viâ rectâ seque itineri committunt, quo nunquam ad verum doctrinæ sacrarium enitiatque penetrare possunt. Id autem sæpemitari subit, quod, cum omnis difficultas in perceptione memoriaque rerum, quæ in singulis disciplinis traduntur, consistere videatur, in ordine modoque discendi atque docendi tanta varietas & confusio ac inde proficiendi impedimentum, bonis mentibus objiciatur. Cum hæc de re non ita pridem, quod ad Jurisprudentiam attineret, inter aliquot Juris Studiosos orta esset disputatio, laudantibus, ut fit, singulis suorum Præceptorum rationes, impetus me cepit, idque tum præ me tuli, fore ut in scriptum redigerem, meisque Auditoribus traderem,

pervacuam atque alienam ab omni non solum elegantia doctrinaeque, sed & à communi usu præferre subtilitatem. Quam nobilissimæ disciplinæ contumeliam non utique ipsius ineptiæ, sed inscitiæ non adsequentium ego quidem impu- tandam censeo. Quid enim est, quod imp- ediret nos ad eandem Artis perfectio- nem eniti, si modo eadem contentione viâque procederemus? At nunc studiosi juris beatos se valdeque eruditos credunt, si brevia, quæ venditantur, Artis com- pendia vix animo comprehenderit, & definitionum partitionumque summas & actionum solennia carmina memoriæ mandaverint, artemque omnium Prin- cipem & latè diffusam in angustas tabel- las paucasque & sæpe ineptas quæstiones coarctaverint. Interim si quis sigillorum & notarum ænigmata, si interpunctio- nes, si Glossas, si varias lectiones judicet atque discernat, si lacunas librorum juris legumque suppleat, si vitiata, insecta, lu- xata detergat & restituat, si Leges, ple- biscita, Senatus Consulta, formulasque a- ctionum concinnet & fugitiva retrahat,
id

vestrisque, ni fallor, moribus egregie convenientes, qui prandium mihi apud piscinam meam condixerunt; Rogo, comites vos & convivas, & si libet, confabulones præbeatis. Annuentibus nobis, rhedam ejus pensilem, quam habebat more beatorum hominum, conscendimus, brevique itinere villam ejus urbanam ad antiquum Rheni littus ingressi, convivas illic, scaphâ recens advectos offendimus. Inter quos præter *Wijn-gardenium* Auditorem olim meum, neminem mihi notum reperiebam. De apparatu & tralatitiis epularum solennibus fabulisque nihil referam; sed mensis sublatis, animisque à sedentariâ fatigatione, per hortum ambulando, recreatis accidit, ut nobis quatuor, nam *Wijn-gardenius* se adjunxerat, sub platano quadam confidentibus, sermo per ambages ad inquisitionem de statu Academiarum studiique juridici modo methodoque deduceretur. De statu Academiae frequentiaque fidenter illi & magnificè loqui, nec obscure mirari se meas rationes, quæ fecissent, ut tam il-

Iustri theatro me subduxissem; tamen si, ut erat hominum candor & liberalitas, videri volebant, eo factum esse, ut ipsis locus tanti honoris & emolumenti patuisset. Inde *Crusius* de meis Digressionibus, quas superiori anno de prælectionibus ad Institutiones Justinianæ excerpissem incipere, laudabat earum institutum, etsi nonnulla visum mihi esset in illis collocare, quæ ab ipsius sententiâ judicioque abhorrent, de quibus indicabat, se per literas mecum agere constituisse, nisi nunc faciendum mihi videretur, ut coram de illis familiariter disceptaremus. Ego non recusare, sed *Bökelmannus* & *Wyngardenius* intercedebant, eo quod iste locus, & congressus ad disputationes de opinionibus juris, sententiisque discrepantibus parum idoneus neque factus & institutus videretur. Atqui, regerebat *Crusius*, non erat, quod scholasticas argumentationes de magistralibus controversiis aut profundis legum sensibus ac antinomiiis, expectaretis. Neque meum, nec Huberi ingenium animique voluntas ad ejusmodi contention-

tio-

tiones, hoc præsertim tempore convivalis jucunditatis inclinabat. Sed agite, quando ita videtur, discrepantiis nostris, etsi humanioribus atque ad literas politioris spectantibus abstineamus; de communibus tamen studiis colloqui nihil veat; quid enim potius sit, quod sub hac platano, quæ mihi ad dialogos literas consecrata videtur, agamus non video. Nihil abnuere cæteri. Quare *Crusius*, Haud facile dixerim; mi *Hubere*, pergit; quam mihi volupe fuerit, animadvertere è tuis Digressionibus, te non esse & eorum numero, qui systemata nobis & compendia Jurisprudentiæ, quæ nihil quam totidem dispendia sanctissimæ artis sunt, omni die obtrudunt & secundum ea juventutem sibi commissam instrunt an corrumpunt. Verum id mihi præter expectationem accidisse fateor, quod in omnibus quatuor libris observationum illarum humaniorum, non inveniidi in ullum specimen emendandi textus vitiosos Juris nostri; cum tu ignorare non possis, dari adhuc plurima loca quæ in tuis scripturæ mendis hæcant;

& videmur jure quodam nostro expectare, dum Tu illud studium criscoo juridicæ jam pene situ & lqualorobfitum & oblitteratum, inter paucos alios excolas, atque in usum honoremque pristinum reducas. Cujus institut propositique nulla me vestigia in hisce tuis Digressionibus, quæ nihil aliud fere, quam Observaciones Juris Humaniores continent, reperisse, non potui quin ægrè ferrem. Nescio enim quic taciti argumenti hocce tuum de criticis silentium, in tali opere præse ferre viletur, non esse tibi consilium. hanc docendi juris viam insistere, quæ per examet omnium veteris Jurisprudentiæ locorum in emendatione textuum depravatorum desinit, ac ita nobis antiquam Artem itori suo genuino integritatique restituit Nam si hoc in iis meditationibus, quæ pertinent ad politiores literas cum Jurisprudentia conjungendas, faciendum non putasti, quando & ubi fas sit hoc à te ræstolari, mihi quidem non venit in mentem. Eaque res tanto minus expectaa mihi contigit, quod jam olim, cum adhuc in

gc-

genere Historico versare, criticis emendandi conatibus non abstinueris; siquidem recordor, te in dissertationibus, quas edidisti de *Temporibus ante Cyrum* observasse nec non correxisse vitia in locis quibusdam *Diodori Siculi* atque *Orosii*, quæ nec cum ipsis nec cum aliis incorruptis rerum gestarum monumentis convenire judicabas. Deinde verò cunctis bonæ mentis amatoribus optimæ spei signum extulisse videbaris in oratione, quam habuisti, cum ex Eloquentiæ & Historiarum Cathedrâ solenniter in Juridicam transires. Id enim unice in universa Oratione illâ agere videris, ut conjunctionem politioris criticæque literaturæ cum Jurisprudencia studiosis inculcares. Proinde gaudeo hanc occasionem mihi oblatam esse, quâ consilii hujus occasionem de te ipso cognoscerem, sperans futurum, ut quid vis potius quam instituti adeò præclari mutationem in causa tibi fuisse intelligam. Duæ res sunt, ita regerebam, Clarissime Crusi, ad quas responsum debeo; Prima quod tibi mihi que gratularis, me potius edidisse Digressiones à Prælectionibus Justinianicis,

A s

quam

quam systematicum Institutionis Imperatoriae, Compendium; Alterum, quod in Digressionibus meis spem tuam de criticis observationibus, quæ huic operi in primis convenire viderentur, fefellerim, Quamquam autem contentus esse poteram eâ laude, quam mihi in invidiam systematum & compendiorum adscripsisti, habeo tamen rationes, quare nec hac in parte tibi penitus adsentiri possim vel debeam. Parantem de hoc instituto sententiam meam pluribus verbis exponere, *Bökelmannus*, comprehensâ leniter manu meâ; *Quintus mi Huber*, quod ad hoc caput attinet, inquit, huic homini cede tuas partes; nam id ego meliori jure vindicare mihi debeo, ad cuius invidiam vel contemptum, hæc orationis *Crusianæ* pars, si quid inde contemptus invidiæque potest oriri, in primis redundat. Novimus nos inter nos *Crusius* & ego, atque libertatem oris animique ejus, utpote *Zutfaniensis* ego vicinus *Westphalus*, & jam Collega familiarisque amicus tam bene perspectam habeo, ut nec ego causam irascendi ha-

habeam, quod coram instituta mea vituperat, nec ille sit ægre laturus, si pari libertate rationes ejus refellam; libentius id Te communi amico præsentem & arbitro facturum, quam si cum solo ipso vel seorsim apud ignotos aut minus intelligentes faciendum foret. *Æquum Bökelmannus* petere videbatur, ideoque cessi, & cum desiderio meo respondendi *Cruccio* transigendum putavi, donec illi de compendiis & systematibus absoluisent, id unum stipulatus, ut quam æquitatem animi præ se ferret *Bökelmannus*, hanc uterque in orationis progressu fideliter præstaret. Utroque blando cum risu annuente, Si quid mihi, pergit *Bökelmannus*, succensendum hac causâ foret, non immerito queri possem, sparsos jam pridem nimis odiosos in vulgus rumores & pene jam in dicterium abiisse, *compendium* *Bökelmanni* nihil esse quam *dispensium*; forte an etiam conquererem, nisi eventus me *compendium*que meum absolveret, omnemque dolendi causam publici applausus frequentiaque gloria præcideret; nam fas est, opinor, magnifice

fice loqui adversus contemnentis & calumnias invidentium compescere jactantia; nec scio, an non brevi continuis auditorum meorum flagitationibus, de compendio meo typis publicis evulgando, morem gerere debeam. Sed adhuc quidem *Crusi* doctissime, de compendiis & institutione methodicâ Juris, qua utimur, nihil quam dicta peremptoria, summasque inrisionum & scommata percepi, nec satis discernere potui, sitne vobis propositum omne genus compendiorum & syntagmatum eliminare, vel an in meo libello sit, quod displiceat & quod ad severioris disciplinæ legem emendatum cupiatis. Quod si placet, ut hac quæstione defungamur, factendum tibi censeo, ut de hoc genere totam animi tui sententiam & quo pacto in docenda juventute procedendum putes, exponas. Cum enim Tu Actoris, ego Rei partes sustinere videar, non habet res facultatem, ut defendendi rationes incantur, antequam litis intentio apte, certo, clare peracta & absoluta fuerit; siquidem hæc tres proponendæ inten-

tentionis virtutes à systematicis nostris accepimus. Dein ego, sicut potero, contradictionis vices peragam litemque eo modo apud hosce duos, si videbitur, arbitros contestabimur. Quando res eo deducta est, agebat *Crusius*, age, non displicet conditio; quid enim jucundius, aut facilius mihi, quam agere causam, quæ tantopere ad animum mihi pertinet, & eloqui apud amicissimos homines, quod jam olim me coquit & versat sub pectore fixum! Nihil enim minus agitur in hac disceptatione, quam de causis corruptæ Jurisprudentiæ, quarum ego principem maximeque in oculos incurrentem hanc compendiarium docendi rationem esse, non verear profiteri. Credo, non vocabitis in controversiam, Artis nostræ gloriam à patrum nostrorum memoria vehementer esse diminutam. Quis enim nostrum sine dolore animi potest comparare nomina studiaque eorum, qui superiori seculo jus illustrarunt, cum his qui hodiè familiam inter jurisconsultos ducere creduntur? Verè dicere possum, Juris Artem his diebus nihil quam su-
per-

pervacuam atque alienam ab omni non solum elegantia doctrinaeque, sed & à communi usu præferre subtilitatem. Quam nobilissimæ disciplinæ contumeliam non utique ipsius ineptiæ, sed inscientiæ non adsequentium ego quidem impudendam censeo. Quid enim est, quod impediret nos ad eandem Artis perfectionem eniti, si modo eadem contentione viâque procederemus? At nunc studiosi juris beatos se valdeque eruditos credunt, si brevia, quæ venditantur, Artis compendia vix animo comprehenderit, & definitionum partitionumque summas & actionum solennia carmina memoriæ mandaverint, artemque omnium Principem & latè diffusam in angustas tabellas paucasque & sæpe ineptas quæstiones coarctaverint. Interim si quis sigillorum & notarum ænigmata, si interpunctiones, si Glossas, si varias lectiones judicet atque discernat, si lacunas librorum juris legumque suppleat, si vitiata, infecta, luxata detergat & restituat, si Leges, plebiscita, Senatus Consulta, formulasque actionum concinnet & fugitiva retrahat,

id

id omne nimis anxie stultæque diligentia esse opinantur. Nec ita vulgus tantum imperitæ juventutis per inertiam aut ignorantiam, sed etiam Professores spe mercedis aut ambitione frequentis auditorii in transversum aguntur, ut nihil pensi habeant animos juvenili credulitate fluxos atque obnoxios contrumpere, pulcherrimamque artem subvertere & parentum vota frustrari. Hi sunt, qui satis esse jactitant, si vel binas quotidie horas studiosi libris incumbant; Id enim spatium temporis sufficere absolvendo penso quotidiano, quod illis è compendio præceptoris sui secundum ordinem lectionum privatarum injungitur. Quid denique frequentius auditur, quam viam illam veterem ac regiam asperam & præruptam, etiam obscuram & multis anfractibus detortam, eoque longam ac molestantem esse; illam à paucis, quanquam sedulis atque ingeniosis vix multa lucubratione & immenso labore vinci. Hanc autem compendiarium, planam, simplicem, rectam, omnibus patere, ac ne seignibus quidem & vecordibus in-

viam

viam aut insuperabilem esse, eâque ad jurisprudentiam brevissimè certissimeque perveniri. Ego vero censeo, plures illa nostrâ viâ præclaram scientiam obtinuisse, quam qui vulgarem & compendiarium iniere, qui etiam tum mihi, cum in Portum suum pervenerunt ac sperata consecuti sunt, naufragium fecisse videntur. Quod si tantoperè Compendia expectant, ea privatim legant & habeant Studiosi; Antecessores publicè privatimque altius spirant; Verum quia plerosque pœnituit tam præstantis Disciplinae, ea re angustiis inclusa jurisprudentia est; ex quibus ipsi, quid tam eximiæ disciplinae, deinceps futurum arbitramini? Atque utinam exempla deessent huic tam justo metui? Quid Livium imminuit præter Annæi Flori, quid Dionem Cassium præter Xiphilini epitomen? Si Polybium, si Trogum Pompejum, si alios non contraxissent aut excerpissent studiosi homines, fortassis integris uteremur, neque in antiquarum rerum memoriâ tantus hiatus pateret. Eloquentiam videamus, quid eam perdidit, nonne compendiarium, per quam

clo-

eloquentiæ laudem affectant, qui necdum
benè loqui didicerunt? Quid multis?
ipsum Papinianum, Paulum, Ulpianum,
quid abstulit aut accêdit, nonne Com-
pendiaria Justiniani? Quod si illa vete-
rum extarent scripta, quantum ad rem
literariam conferrent, quantum ad pu-
blicum, quis ignorare potest, qui in-
telligit quantum potuerint erudita præ-
stare ingenia, postquam illa Theodosia-
ni Codicis, illa Licinii Rufini, Ul-
piani, Pauli, & Caji fragmenta luci re-
stituta sunt. Hæc eo pertinent, viri cla-
rissimi, ut veras corruptæ jurisprudentiæ
causas, simul quibus viis ea constitu-
ta, his & florentem facile retineri & o-
missam restitui posse, intelligatis. Atque
hæc quidem summa fuit eorum, quæ
Crusius, majore copia verborum pro in-
stituto suo, differebat. Ad quæ *Bökel-*
mannus, Satis fecisti, inquit, amicissi-
me Crusi, postulationi nostræ; neque
mutatum controversiæ nostræ statum,
ab eo, quod inde ab initio professus
es, animadverto. Proinde hæc esto sum-
ma quæsitæ nostræ, rectene Tu corruptæ

B

col-

collapsæque Jurisprudentiæ causam adsignaveris hanc systematicam seu compendiarium institutionem, quâ nunc in Scholis Juridicis utimur, & cujus me sectatorem auctoremque, denique, sic enim tibi placet, Reum esse profiteor; siquidem maleficium id oportet esse non tralatitium, quod inertiae, avaritiæ ac ambitionis maculâ deforme corrumpendæ Jurisprudentiæ causam præbuerit, ac etiamnum præstet. Denique id animadvertendum erit, an ita faciendum sit, quemadmodum tu præcepisti, ut si quis omnino sibi necessarium putet ejusmodi compendium, quod definitiones partitionesque rerum, quæ sunt in Arte Juris, actionumque solennia tradat, illud sibi privatim habeat ac legat; Antecessores autem publice privatimque ne sese ad talia demittant; nisi forsitan, idque vix, in Institutionibus enarrandis. Ubi verò ad Pandectarum & Codicis interpretationem transferint, procul habitis id genus brevioribus, ipsos veteres integros & illibatos aggrediantur. Ego ita existimo tibi que consentio, Crusi, non esse

esse perfectum Jurisconsultum, qui se veteribus, hoc est, ipsis Pandectis & Principum Constitutionibus per se totisque evolvendis legendisque non dedat; sed nego id esse tentandum, priusquam paratularis notitia omnium librorum Juris antiqui, ex promptâ memoria judicioque comprehensa sit, Nec arbitror ejus sententiæ te fore, quasi Pandectæ Principumque constitutiones, auditu primo ab adolescentibus & disciplinæ juridicæ ignaris intelligi possint. Nîmis enim manifestâ omnium qui jus didicerunt, quique medio in cursu defecere, vel qui defunctoriè id aliquando inspexerunt, experientia te refutaret. Infinita rerum actionumque humanarum varietas superans etiam Græcæ, nedum Latinæ Linguæ divitias, fecit, ut antiqui Artis hujus conditores, aliarum more disciplinarum, nativos plurium verborum usus ad diversas abstractasque significationes transtulerint. Quis sine eorum, ut vocantur, Artis terminorum præviâ notitiâ, quibus referta sunt veterum nostrorum scripta, gravissimas & diffi-

cillimas eorum commentationes intelligat, quis species factorum ab illis subtiliter involuteque subductas, si verba necdum singula percipiat, subigere atque explicare possit? Nonne id perinde foret, ac si declamarent (quæ te comparatio delectat) antequam Latine loqui didicissent? Ne dicam eos, quibus summæ rerum differentiæ, personarum necessitudines, obligationum, vincula, successionum judiciorumque ordo non innotuerunt, eos intricatissimas de his rebus disputationes in veteribus occurrentes nihilo magis intellecturum, quam quilibet nostrum ænigmata vel arcana mathematicarum, quibus nunquam imbuti fuimus, perciperet. Nescio, quæ sit illa tua Crusi, aliorumque paucorum intemperies, ut omnibus in universum compendiis adeò sitis infesti, quibus nulla unquam ætas nullus auctor erudiendi juventutem carere se posse credidit. Ipse Iustinianus jura populi Romani haud aliter commode à se tradi posse judicavit, nisi primò levi ac simplici viâ, post deinde diligentissimâ atque exactissimâ interpretatione

tatione singula complecteretur. Quid ego hic de Aristotele, Cicerone, Quintiliano aliisque hominibus doctissimis auctoritates & testimonia proferam; quid de hoc & superiore seculo narrem; cum nihil sit notius & manifestius, quam aliter in ullâ studiorum disciplinâ facere solitum esse neminem. Tu adolescentes nullis compendiis præparatos gravissima juris antiqui volumina vis aggredi? Sic Medicinæ admovendos doce confestim totos Hippocratem atque Galenum, evolvere, Philosophos Aristotelem atque Platonem ediscere, Rhetorices Historiæ studiosos immensa veteris eloquentiæ rerumque gestarum monumenta scrutari. Sine dubio pari, quâ nos, infamiâ dabis insignitos artifices compendiorum Historiæ universalis & Systematum Rhetoricorum. Nemo pejus de Politiorè literaturâ meritus erit, quam *Johannes Gerardus Vossius*, qui de omnibus humanioris Doctrinæ partibus compendia atque systemata fecit, etiam de Arte Historicâ, quam ante eum nemo in formam Artis redigi posse præsump-

serat. Tibi quoque Theologi sacrae doctrinae corruptores videbuntur, qui compendiis & Systematibus rudium adolescentum animos ad diffusam rerum sacrarum notitiam introduxerunt atque etiamnum in eodem instituto perseverant. Quid tu mihi adversus hanc necessitatem de Livio, de Trogo, de Dione, de Polybio narras, quasi brevioriis illi nobiles Auctores interitum adjissent. Quid habent simile Compendia, de quibus nos loquimur, cum iis, quibus antiqui Scriptores coarctati sunt? An nos Digesta Codicemve contrahimus, ita ut Livius à Floro, Dion à Xiphilino, Trogus à Iustino contracti fuerint? Adeone tu dividere nescis compendia Notionum & regularum, quibus perceptis, Ars quæque facilius intelligi possit, ab epitomis, quibus ipsi libri angustâ formâ describuntur & exhibentur? Quanquam ego ne quidem studium faciendi tales epitomas damnare sustineam, quibus sapientissimos Viros intelligo usos esse, multique etiamnum maximo cum fructu utuntur. Ne Iustiani

niani quidem Cæsaris propositum mihi reprehensione dignum videtur, si in modo contractionis rectam viam tenuisset. Nisi tu putes Iulii quoque Dictatoris consilium eadem notâ censoria prosequendum, quod ille Romani juris suâ jam tum magnitudine laborantis compendium publicare decreverat. Ego vero magis *Hubero* nostro adsenserim, qui in oratione, quam modo laudabas, inaugurali, non putat nefas Marco Bruto irasci, quod nimis crudo servitii odio & improspere festinatione saluberrimi conatus fructum humano generi studioque juris interceptisse videatur. Etenim quanto cultius Iustiniano Cæsaris Iulii ingenium, quanto melior & doctior Tribuniano fuit Trebatius, quanto beatiora florentis & à Gothis oppressæ tempora, tanto concinnius ac eruditius Iulianum præ Iustiniano compendium extitisset. Verum te arbitro, Crusi, est quod gratulemur Iulii Cæsaris manibus *μοις μόνον αἰσίων*, quod clarissimi nominis memoriam compendii Iuris titulo non dehonestavit. Progrediebatur in acriora *Bökel-*

kelmani oratio, quando CRUSIUS, Nescio, inquit, an vos orationis meæ sententiam rectè acceperitis; Ego utique non omnem prorsus usum compendiorum damnavi; duntaxat id me nolle dixi, ut Antecessores illis explicandis operam darent, Studiosi vero quominus ea domi haberent legerentque non intercessi. Bene recordor, ait, *Bökelmannus*, cum tu modo, indignabundus; Quod si tantopere compendiis delectantur, *ajebas*, studiosi, *habeant ea privatim ac utantur*, ut libet. Non obsecrè significans, gratiorem tibi fore studiorum viam, quâ sine compendiis, tanquam bonæ mentis remoris veteres ipsos incontinenti aggredierentur; Et sic, noli dissimulare, *Crusi*, qui sectam tuam sequuntur, de nostra methodo sentiunt ac in vulgus opinantur; meum *Compendium*, dicunt simpliciter, esse *dispendium* studiorum seduloque id agunt; ut studiosam juventutem ex auditorio meo, tanquam è Scylla vel Charybdi bonarum mentium seducant; fere ut in Cebetis tabula fecit ille senex, qui pueris vitam

in-

ingredientibus rectam viam præmonstrat, quâ ad veram sapientiam pervenire queant. sed bene habet, quod rationes vestræ à sensu communi abhorrent & præjudicio generis humani damnantur; nec minus primo intuitu, quam experientia docente liquent in hoc esse comparatæ, uti rudes & infirmos animos studiosorum multitudine ac varietate rerum onerent; duorumque alterum aut desertores studiorum efficiant, aut cum magno labore serius ad id perducant, ad quod leviori viâ ducti, maturius perducere potuissent, ut sapientissimus Imperator de hac ipsa institutionis discrepantiâ loquitur. Idque te ipsum *Cruſi*, non puto negaturum, quin tibi sic eveniat; quando satis constat, te hanc ipsam ob causam, duntaxat in Institutionibus, eâdem viâ definitionum atque partitionum, velis nolis, procedere cogi, alioquin omnibus à primo limine deserturis auditorium tuum. Adhuc vero facilis tibi videtur hæc compendiorum doctrina, tam humilis, ut Professoriæ vocis officio non indiga vel

indigna sit? Misere me conditionis tuæ, qui, licet invitus, ad tam humile scholæ ministerium ex parte saltem eâque infimâ te demittere sis coactus; quod tamen ante nos, quotquot Jurisprudencia claros & admirabiles posteritati fecit, gnæviter instituerunt. Denique, non possum satis mirari, qui fiat, ut in re tam obviâ, tam protritâ viri undique Doctissimi tam rarè satisfacere possint expectationi desiderioque studiosæ juventutis, cujus quidem judicium universæ conspirantis, in hoc genere nullo modo spernendum esse, communis famæ experimentis jam pridem abunde comperitum est. Sed mittamus judicia studiosorum, quanquam his arbitris parum abest, quin stent fata fortunæque Professorum; compendia ipsa, si placet eorumque indolem consideremus, an ea tantam facilitatem vilitatemque præ se ferant, ut Professoribus indignum sit ea privatim adolescentibus interpretari. Nam de publicis prælectionibus concedo tibi, non esse faciendum, ut in iis compendia, vel systemata, vel quicquam præter

præter antiqua juris monumenta celebratur. Verum nostræ, ut olim vocabantur, *summa* institutiones, quibus privatim exercemus adolescentes, breviter, sicut vox sonat, esse debent, paucisque dictis universi juris fundamenta complecti regulasque tradere, quibus judicium in difficilioribus rerum argumentis controversisque regatur. Quod nec sine obscuritate aliqua collocari, nec sine inductione usus & exemplorum intelligi, nec omnino sine Interpretis ope consilioque perfici potest, ut ego & Huberus & Wijngardenius & quicumque non gaudent insulsâ philantiâ à communi viâ recedere, fatebuntur; sese inquam, non modico tempore, continuâ laboris intentione fundamentales Institutionum Pandectarumque regulas & κριτήρια rerum, quibus instructi leges ipsas cum fructu evolvere possent, bene valideque didicisse. Non quod ego, vel quisquam sanus homo studiosos tum grandi temporis spatio ab ipsis legibus librisque veteris prudentiæ exclusos velimus. Positiones compendiorum

rum vel inprimis ad hoc comparatæ sint oportet, ut indices legum præsentent perpetuoque studiosos ad fontes remittant; ne quicquam de principiis juris credere in animos inducant, nisi quod è Textibus ipsis clare solideque probatum videant. Qui verò in id sedulò incumbit, ut summarias positiones illas Artis universæ, cum legibus allegatis quotidie conferat easque judicio distinguat memoriæque infigat, hunc ego non unius alteriusve horæ spatio sed magnâ parte diei noctisque vix posse defungi certus & expertus sum. Quod velim, habeas, Crusi, ad falsum scomma tuum, quo me, scilicet, insignitum voluisti; nec enim me fugit, quid hac de re in invdiam facilitatis meæ sparsum sit, quasi auctor fuisset studiosis, bene se habere si vel binas trinasve singulis diebus horas studiis privatis meoque compendio impenderent. Nec tamen dissimulo, ejusmodi aliquid nonnullis juvenibus à me dictum fuisse, neque pudet fateri; nec tu credo, quem scio, minime de rigidioribus & fronte caperata Catonibus esse

esse gaudere, reprehendendum putabis; ubi intellexeris, quales fuerint, qui tam strenuâ admonitione digni à me sint iudicati. scilicet, ex eorum numero dissoluti adolēcentes, qui ad studia missi à Parentibus, & Curatoribus nobisque mēliore modo commendati dies in conviviiis, & symposiis, noctes in stupris, in alea ebriosisque grassationibus agent; incolæ sordentium ganearum potius quam Museiorum suorum. His ego non diffiteor, cum nactus aliquando eos dignis modis excepissem, nec tamen acrimoniâ quicquam proficerem; hoc commento gustum bonæ mentis indere conatum esse, uti persauderem, quo hanc sibi legem figerent, Collegio semper interesse, ad hoc se præparare, saltem ut exiguam diei partem pravis aut ludicris ἀμβολιεργίαις subducerent; ita fieri posse, ut ad tolerabilem doctrinæ perfectum sine magno labore pervenirent; Quod in aliquibus ita successit, ut hanc non modo, sicut vulgo æstimatur, eruditionem mediocriter adsequerentur, sed nonnulli etiam hac viâ penitus ad bonam

bonam frugem redirent brevique inter diligentissimos eminent. Hæc scilicet est mollis illa Bökelmanni disciplina, quâ juventutis affectum sibi frequentiamque conciliat, ut invidia criminatur. Sic est ratio mea, *Crusî*, res hominesque civili considerare & expendere iudicio, consilia machinasque adhibere, quibus exitum cuique negotio convenientem sperare liceat; non μετρωσέιν, non suspenſa, infinita, sublimia loqui, non quærere vias in terris secundum signa syderum, ubi lapides monumentaque ob oculos extant; non inculcare studiosis grandia, magnifica dictu, sed usu cassa & inaniâ rebus, denique non Herculis cothurnos aptare pueris, quod tu in oratione modo effusâ, si quis unquam, alias fecisse videris; Id agens ut *qui recenter studia legum attingunt, mole doctrinæ quam portare non possunt, ut Justinianus ait, obruantur, repudiatis cum supercilio primæ eruditionis elementis, quibus juvenes suffulti possint graviora & perfectiora scita legum sustinere*, ut iterum sanctissimus Cæsar. In-

cende-

cendebatur *Bökelmannus*, quando *Crusius*.
Næ tu, inquit, in simpulo, quod
ajunt, fluctus excitas, & nescio, quo
pacto, parum abest quin Majestatis
violatæ reum apud Cæsaris tribunal agere
me velle videaris. Atqui ego, magne
compendiorum Patrone non magno-
rum, non omnia quæ de systematibus
vestris in animo fuere simul unoque spi-
ritu effutivi; nec omnia, Tu, quæ modo
in hanc rem à me dicta sunt, respon-
sionibus tuis confecisti. Concessi ego,
si meministi, Antecessores in Institutio-
nibus explicandis non male facturos, si
prima Juris fundamenta per definitiones
divisionesque exequerentur; In Pande-
ctis non arbitrabar id expedire. Nonne
per hanc distinctionem, ne me putes
harum expertem esse, vim tui argumenti
& autoritatis Imperatoriæ contra me
intentæ fregisse tibi videor? Quanquam
ego Te *Bökelmanne* meliore jure, si non
hoc totum ineptum est, læsæ dignitatis
Cæsareæ deferre possem. Nam si om-
nino libellus aliquis primæ institutionis
ad inchoandam Juris disciplinam opus
est,

est, quæ vos agitat insania, ut aliud compendium quaratis, quam Cæsar ipse Iustinianus composuit & Iuventuti sollicitè commendavit? Quis neget hunc esse contemptum Cæsarei instituti, quis neget fieri non posse, quin detrimentum studia tyronum capiant, si aliis discendi principiis quam ipsius Iurisprudentiæ conditoris imbuantur? Nam hac gratiâ narrat ipse Iustinianus in constitutione, quâ libellos Institutionum confirmavit, se mandasse Triboniano cum sociis, ut auctoritate Principali prima legum cunabula in Libros Institutionum redigerent. Quid aliud neotericorum compendiorum Suasores & Autores agunt, quam ut pubem Academicam spolient illo notabili honore, quem Iustinianus tam magnifice illis imputat, cum ait. Dignitanto honore tantaque reperti felicitate, ut & initium vobis & finis legum eruditionis, à voce principali procedat? Quanti vero illud est, quod Studiosis hac perversâ methodo eripitur, quod qui Iustinianum veteresque Iuris Auctores assidue legunt, eorum dicta sententiasque

sibi

tur. Notum est etiam, qui Juris studium feliciter exercere volunt, eos amœnitates historicas humanioresque literas, cum eo conjungere debere, quemadmodum fieri oportere Te ipsum scio & aliàs semper esse testatum & modo mihi contendenti ultro esse largitum. Insuper, Ars ipsa juris eâ methodo pervertitur aliumque induit habitum, quàm à Juris conditoribus accepit & quam habere debet. Repletur novis Principiis terminisque, ut ajunt, semibarbaris atque fictitiis definitionibus & partitionibus in systema scholasticum deformatur. Quâ re fit, ut studiosi inde ab initio novis innixi fundamentis, in progressu & in ipsâ praxi rationes decidendi non tam ex limpida antiqui juris fontibus, quam ex lamis & lucunis, è præceptis regulisque systematicis petere consueverint. Præterea, cum nihil ad solidam juris cognitionem sit efficacius, quam ipsos veteres & totos legere Jurisconsultos; siquidem aliter veræ atque integræ illorum sententiæ satis aperte percipi nequeant; qui hoc genus compendia
amant,

amant, eo fructu non potiuntur, sed juxta regulas systematicas, identidem peculiare textus, qui modo hinc, modo illinc citantur, inspiciunt, & qualitercunque singulis præceptis applicant. Quin hoc tantum faciunt, qui diligentiores habentur, plerique verba compendiorum memoriæ mandare contentis, cum illa recitare possunt, egregios se Iurisconsultos evasisse opinantur. Quis non abominetur hos compendiorum fructus & specimina! Respiranti *Crusio*, Mirari equidem liceat, *Crusi*, respondet Bökermannus; quod cum hæ rationes tibi graves validæque videantur, in primâ oratione tuâ nihil ejusmodi miscueris, sed abrupta severitate nihil quam nigrum theta compendiis inusseris; quo nihil omnium temporum hominumque eruditorum exemplo judicioque magis adversum fingi poterat. Unum, fateor, adjeceris, quod me fugit resellentem; Indignabundus, si quis omnino compendiis delectaretur, ægreque concesseras, ut ea privatim haberent legerentque studiosi, cæterum juxta Institutionum

num enarrationem eas omnino ponerent, in Pandectis atque in Codice nihil ejusmodi usurparent. Sicut in omni hac disputatione, *Crusi*, pro tuo potius quam pro communi rationis captu differis, ita nihil imprudentius, nihil à discendi docendique juris ordine alienius adfirmari poterat; quam in Institutionum explicatione compendium Artis usu venire posse, in Pandectis & in Codice non esse ferendum. Quis non contrà videt, si quis abhorreat à novitiis systematibus, cum quod ad Institutiones attinet, in promptu habere Iustiniani compendiam, quod Imperatorem ad hunc usum parasse & præscripsisse juventuti, intelleximus. In Pandectis autem & in Codice, cum sciret aliquid esse necessarium, quod summam eorum librorum doctrinam, exhiberet, industriæ Professorum commisit, ut paratitla, id est, singulorum titulorum summarias expositiones in usum discipulorum componerent. Quid autem Te movet, *Crusi*, ut secundum Institutiones methodum finiendi partiendique tandem

tandem aliquomodo ferre queas? credo, quod intelligis, studiosos sine talibus adjumentis cum fructu in corpore Juris evolvendo non posse versari, nisi, inquam, notiones rerum necessarias & summa doctrinæ *κρηίσιμα* præsumserint. Si jam in Institutionum libello, quem Cæsar publicavit, elementa omnium capitum, quæ in Jure tractantur, extant, nihil intercedo, quominus utendum sit tuo consilio, atque statim, ubi Institutiones perceptæ fuerint, integros Pandectarum codicisque libros aggredi & ingenio memoriæque subigere liceat. Quod si facile pars æqua totius Artis in Institutionibus Cæsaricis intacta manserit, manifestum est, earum rerum initia nihilo magis ignorari posse, quam quæ in Institutionum Libellis ab Imperatore collocata sunt. Non expectabis, opinor, ut tibi demonstrarem, quot nobilissima difficillimaque Juris capita sint, de quibus altum in Institutionibus silentium; Nihil facilius erat, ni supervacuum & apud homines, quibus hæc innumerato sunt, tædiosum

foret. Nihil est igitur quod instantem Te
 rursus audio; sufficere in usum præpa-
 ratoriæ doctrinæ Institutiones à Iustinia-
 no relictas; non sufficiunt. inquam,
 Ad Pandectas intelligendas ejusmodi li-
 bellus æquè necessarius est. Præterea
 inanis calumnia impingitur meo ad Insti-
 tutiones compendio, quasi id ageretur, ut
 juventutem per illud ab ipso Iustiniano
 abduceremus. Nam meum Compendi-
 um (non pudet hunc titulum præferre,
 licet aliud speciosius prætexere possem)
 Auditoribus meis aliter usui esse non
 potest, quam si Institutiones Cæsareas
 juxta eas continuo legant eandemque
 methodum premant; ideoque tantum
 abest, uti contemptus inde juventuti ad-
 versus Autores Artis subnasci queat,
 potius ut augeat eorum honorem vene-
 rationemque, dum à dictatis nostris ad
 eos tanquam ad principales auctoritates
 continuo remittuntur. Cæterum, hoc
 mihi Sacratissimi Cæsaris manes largien-
 tur, id etiam vos mihi, ut dicam, lar-
 giemini, non esse faciendum his diebus,
 ut methodo, quam ille quondam præ-
 scripsit,

scripsit, in omnibus examissim præciseque inhæreamus. Nam quod Ille primò omnium voluit, ut ne studiosi ultra semestri spatium in Institutionibus detineantur, quæso, quam hæc res hodie facultatem haberet; fateor, Institutiones semestri spatio explicari posse; verum quis vestrum de ingenio memoriaque sua tantum fiducia conceperit, uti una deambulatione, se argumenta Institutionum ita possidere sentiat, ut super illud fundamentum totam Digestorum molem adstruere se posse confidat. Accedit quod nemo negare potest, expedire studiosis, uti mutationes, quæ universæ Europæ moribus in disciplinam Juris invecæ sunt, Justiniani regulis admisceantur; Nullis alioquin Artium studiosis meliorem jure satyricum illud quam Iurisperitis applicari potest; Adolescentes in scholis stultissimos fieri, qui, nihil eorum quæ in usu habemus audiunt & discunt. Quæ ratio sola sufficit ad probandum, quod Justiniani compendium non respuat aliud manuale eadem operâ methodoque legendum. Iam porrò id præ

cæteris in objectionibus tuis mirari me subjit , quod hæc docendi discendique methodus incertitudinis in ratione studiorum arguebatur. Nam si, quod res est, dicere fas sit , non uno mihi experimento compertum est, maxime in Examinibus Candidatorum Juris, eos, qui diversâ à nobis viâ præcipue se jactabant , in Colloquiis & dissertationibus Artis, adeo fluctuantes, ne dicam, ignorantes fundamentorum Juris esse repertos , ut miseratione potius , quam diversæ sententiæ invidiâ convitioque digni judicarentur. Nec est, quod eorum æmulos id egisse per insidias arbitrare. Crusi, quasi sophisticis argumentationibus argutiisque scholasticis simplicissimam , sed rectam eorum doctrinam aggressi fuissent. Te ipsum appello testem , quam ne definitiones quidem divisionesque per Institutiones & Digesta sparsas soleam illis objicere ignoratas, modò ipsa rerum momenta titulorumque juridicorum sententias intelligere videantur. Nam ego , ne à systematibus doctrinam Juris suspendere me velle putetis,

tes, pro gravi doctoque Jurisconsulto habere non gravabor, qui materias Artis ab Antiquis traditas & expositas novit atque perspexit; etsi nullas terminorum formulas, nec quidem definitiones partitionesque Juris recitare possit, modò ex omnibus Juris locis eductas quæstiones usum in humanâ societate habentes solvere & interpretari queat: hoc enim est officium, nisi fallor, Jurisconsulti, de jure consultum respondere posse, secundum regulas Artis quibuslibet verbis indutas. Sed Tu, *Crusi* & hic *Huberus* noster non ignoratis, quando evenerit, ut qui in hoc genere candidatorum, à quibus compendia atque systemata ridentur, excellebant, & jam studiis aliorum regendis publice erant admoti, cum examini sese offerebant, nesciverint, quid esset Collatio, putarent, eam habere locum, ubi Adscendentibus succederetur, deque aliis certi juris capitibus, at minus obviis, ita responderent, quasi à facie nunquam ea cognovissent. Enimverò non potest aliter fieri, quin talia quandoque systematum contemptoribus eveniant,

niant, dum inde ab initio sententiis veterum obscurioribus indagandis, legum emendationibus excogitandis, ritibus atque formulis veteribus explicandis, omissis disciplinæ fundamentis, omni conatu sese dedunt; similes hisce, qui omnium primò Quæstiones illustres, intricatasque legum enantiophanias aliaque inusitata & auditu speciosa adolescentibus proponunt. Qui alterutrâ viâ ducuntur & incedunt, vel nunquam, vel difficillime rarissimeque ad veram eruditionis frugem enituntur. Enimverò si nihil aliud discendum tractandumque suaderemus, quam hujusmodi compendia brevibus verbis in formam systematis, ordine tamen Cæsareo redacta, metuendum esset, ne non sicciores atque aridi, sicut alia *Crusii* objectio dictabar, fierent studiosi. sed quid tibi vis *Crusii*, ergone credis, ita nos Compendiis delectari, ut in his Iustinianæos auditores omnes suos labores ordiri atque consumere velimus? ut periculum sit, ne ad horum exemplum orationem stylumque contrahant & exhauriant?

Ego

Ego verò, antequam studiosi, de Juris scientiâ ejusve compendio cogitent, ita eos omnino animos inducere volo, ut lectione bonorum auctorum eorundemque imitatione & assiduis styli exercitiis amœnitatem ingenii ubertatemque orationis ita comparent, ut in habitum illis abeat, atque deinceps, ubi Jus student & hæc ipsa compendia tractant, ne illa quidem amœniora penitus illos omittere, sed laxamentum in ipsâ studendi varietate quærere suadeo. Adde, quod & antea dixi, compendia illa systematum esse tantum indices, secundum quos textus Juris, quibus nihil uberius, nihil amœnius, inquiri & legi possunt atque etiam omnino debent. Quæ ratio facit, ut in Pandectis, inquam, absolutè necessaria sit hæc præparatio paratitularis, etsi nihil Justiniani Institutionibus addere velles; siquidem manifestum est, non modo universam methodum in illis esse difficilem & obscuram, verum etiam singulos titulos sine directione compendii alicujus methodici, neque perdisci neque doceri posse;

posse; Quamobrem Cæsar ipse disertè voluit, ejus generis indices & summas capitum describi, quas utique breves atque concisas esse debere, negotii ipsius natura satis indicat; nec metuit Imperator illud prætextum corrumpendæ eruditionis & eloquentiæ periculum. Ex his credo jam præsumi posse, quid ad illam objectionem, quâ per hanc methodum præcidi volebas communicationem Juris cum literaturâ humaniore, sit respondendum. Non contineri in hoc genere compendiorum observationes digressionesque Historicâs & literarias fatemur, impediri prohiberi que negamus; nec unquam cessamus hortari studiosos ad hanc conjunctionem variæ Eruditionis cum Arte Iustinianæ. Denique nihilo magis de eolaboramus, quod tu etiam, *Crusi*, præcipuæ difficultatis loco ponebas; scilicet, his neotericis Institutionum imitamentis non præferre Themidem suam faciem nativam, sed ejus formam cultu adscititio corrumpi. Profiteor equidem, si per hæc compendia fieret, ut Ars nostra

fra terminis, quos vocant; exoticis impleretur licentiâque finiendi partien-
dique scholasticâ in aliam transfret spe-
ciem, me tam alienum ab illis futu-
rum, quam cuiquam Themidos aman-
tissimo esse consentaneum sit. Ideoque
curatissimè id operam dedi, ne quid
tale meo quidem compendio objectari
possit, adeò ut religio mihi fuerit, ulla
in eo ponere definitiones aut divisio-
nes, quæ non aut è verbis, aut & mente
sententiaque legum evidenter colligi pos-
sent. Fuit, inquam, religio; nam
superstitio non debui dicere, qualem
fuisse futuram ego quidem arbitror, si
nihil ejusmodi collocare voluissem, nisi
quod totidem verbis à Justiniano vete-
ribusve Jurisconsultis præscriptum esset;
tamen si Tu *Crusi* tertiusque Collega *Ru-
sius* Noster eo nomine, plerosque re-
centiores Juris Interpretes immodicâ
libertate soliti estis insectari. quan-
quam ignorare non potestis, literatissi-
mos superioris ævi Doctores, *Cuja-
cium*, *Duarenum*, *Donellum* aliosque
Juris antiqui & intaminati cultores se-
verif-

verissimos eandem instituisse viam . quam in nobis tam inique animadvertitis. Dum , scilicet , proprietates rerum à veteribus fusè expositas neque semper in finiendi partiendique formam redactas succinctis positionibus enuntiant atque declarant , quod omnium Artium . quæ ab antiquis ad nos profectæ sunt , magistros fecisse videmus. Quis logicam , (liceat hoc repetere) quis Physicam aut moralem scientiam aliter hodie tradendam putaret , quis Medicinam tyrones artis , sine compendio vel systemate aliquo novitiâ methodo conscripto docet ? Nec sacrarum literarum Interpretes ejusdem instituti auxilio carere potuerunt , quo fluctuantem discentium memoriam iudiciumque systematis alicujus aut summario locorum communium instrumento regerent ac præmunirent. Scio , non deesse , qui satius existiment , procul habere scriptores Institutionum hodiernos tanquam lamas & lacunas , ipsos scripturæ sacræ fontes adeundos puriusque salubres aquas inde hauriendas. Sed aut me omnia fallunt ,
aut

aut cis breve videbimus eos ipsos, qui systemata magnificentissime contemnunt, Suis, etiam in ille re sacrâ Auditoribus, antequam eos ad altiora producant, ejusmodi Compendia vel quocunque libeat ea nuncupare nomine præscribentes; & Tu, mi *Crusi* nosterque *Rufius*, si diu, quod opto, vivetis, aliquando vos ad idem institutum vel ad poenitentiam improvidæ festinationis redactos sentietis. Ego vero ad rationes tuas iterum productas, quod satis mihi videtur, respondi. **CRUSIUS**, si, quemadmodum Tu, inquit, *Bäkelmanne*, compendii tui usum studiosis commendare te naras, ità vulgò aut à majori parte haberetur, non erat quod *Rufius*, aut ego quicquam dispendii in illis esse situm existimarem. Sed per communia sacra conscientiam tuam testor, an non Auditores tui, tam frequentes aque notabiles in illa Compendii disciplinâ proram atque puppim studiorum suorum collocent, seque perceptis illis, egregios esse Jurisconsultos arbitrentur, neque de ipsis antiquæ jurisprudentiæ libris evolvendis examinandisque

disque curam ullam suscipiant, & an non hæc res ad summum doctrinæ Iuridicæ detrimentum pertineat, adeoque an immerito compendiarium illud institutum, veluti causa corruptæ jurisprudentiæ, vituperetur. Quod si Tu, sicut nobis sedet consilium, devotam Themidi juventutem, ad ipsa vetustæ Artis penetralia deduceres, si exemplo præires, ipsa veterum responsa commentariaque, sicut à Iustiniano in infelici illa, quam habemus, epitome relicta sunt, idoneâ methodo legere, examinare conferre inter sese, iisque immorari, dum plane penitusque intelligerentur; aut si non præberent se intelligendas, veros sensus emendandi conjecturis indagare. Equidem, si quod res est, fateri vis, eo modo, quid amplissimum Iurisconsulti nomen requireret, & quid sibi deesset, etsi jam vestra compendia tenerent, agnituros esse crediderim; deneque, res ipsa compelleret eos veram proficiendi viam insistere, neque cessare, donec universum jus antiquum in memoriæ potestatem rede-gissent; neque

neque nos profecto pro Jurisconsultis haberemus iisque nomen illud venerabile promiscuè adscriberemus, qui seriem quandam definitionum, divisionum iisque adhærentes nescio quas, ac heri nudiusve tertius natas quæstiones excipere atque resolvere possent; ne de aliis, qui nec id ipsum didicerint, cum dedecoris publici confessione loquar. Enimvero si compendiis abolitis, tam egregium mutati consilii fructum capere liceret, credo, tibi ipsi nullam visum iri causam, quare nobis ad inuenta illa & inamoena compendia poenitentiamque pulcherrimi consilii, redeundum foret. **BOKELMANNUS**; Si nihil aliud à mutati-
one poenientiâq; tueri vos poterit, quam ille speratus successus, credo fidem præ-
sagio meo constituram. Quod si potes animum inducere, ut res tibi proponas, sicut existunt, dabo operam, ut intelligas sermones tuos abhorre ab usu civili, ple-
nosque vel ostentationis esse vel ineptiarum. Quod ut tibi, vel saltem hisce viris Clarissimis persuadeam, necesse erit animadvertamus, quomodo parata, quibus stu-

D

diis

diis exulta sit juvenus, quæ ad percipiendam Juris disciplinam scholas nostras ingreditur. & an sanis hominibus consultum videri possit, ejusmodi auditoribus committere fundamenta juris paratitularia proprio Marte discenda; nihil autem illis exponere, quam ipsa veterum responsa commentariosque, non quæ ex illis facilliora, sed obscura, difficilia nodosque continentia vindice dignos. Tu quidem de qualitate humani ingenii nihil humile, nihil infra captum rerum maximarum præsumis; nec ego naturæ sum accusator: sed ita de felicitate ingeniorum philosophari, ut oculos animumque non advertas, ad eos, quibus cum res sit, nihil aliud est quam splendide nugari. Non est hic locus de miserrimâ scholarum primæque institutionis consuetudine queri; sed hoc palam est, novos Justinianos, qui se nobis offerunt, plerosque rudes esse politioris literaturæ, rudes historiæ & omnis Antiquitatis, rudes Græcæ linguæ & proprietatis elegantiaque Latinæ, ne dicam Philosophiæ, præsertim moralis. Nec scio, quæ te perversitas agitet, ut
cau-

causam corruptæ Juris prudentiæ vel studii potius Juridici, (nam ipsam, opinor æque adhuc integram esse quam fuit dudum) potius non prodideris ignorantiam Romanæ Græcæque linguæ, quam usum præparatoriæ institutionis. Et quidem de Græco sermone facis prudenter, quod nullum verbum de ejus peritia in Juris studioso requirendâ protulisti, perinde ac si nihilo magis quam Suedicæ aut Laponicæ dialecti notitia ad Juridicam Crisinem exercendam pertineret. Quod si paulo diutius *Munkero* nostro hac in parte Delfis elementarius Doctor, operam navasses; credo, non minus severe in contemptum Græcarum literarum, quam modo in compendiorum & systematum Auctores invectus fuisses. Nunc ausus es Licinium Rufinum, Ulpiani, Caji, Pauli fragmenta, Codicemque Theodosianum memorare; Græcum Ius & Basilicos thesauros, è quibus tot tantique valoris cimelia viri Græce docti eruerunt, atque adhuc investigare possunt, tristi, ne dicam pudendo silentio, præteristi. Neque te agnosco, Crusi, tam

superbum eruditionis vulgatæ censorem & exactorem critices, sine ulla Græcarum literarum notitia. Tametsi Græcos Iuriconsultos basilicamque paraphrasin contentus sis omittere, vel Interpretibus fidere, quod in re critica scimus quam tutum atque decorum sit; tamen, inquam hujus studii, quod laudas, professio, quâ ratione potest alienari ab illa parte Juris Justinianæi, quod totum *ἀσθεντικῶς* græce compositum est? denique in antiquis latinorum scriptis, quis unquam sine mediocri Græcæ literaturæ peritiâ feliciter in exercenda Crisi versatus est, aut Criticum se profiteri sustinuit? Sed mittamus Græca permittamusque non tantum Accursianis, sed etiam criticis pace tua dicere; græca sunt, legi non possunt, quoties se nobis obtulerint, vel si criticam ne hætenus quidem omittere placeat, imitemur illum, qui cum in Ulpiano legisset hæc verba; *pros epos*, sagacitate vere criticâ, monuit legendum esse, ita; *pro se possit*. Sed revertamur ad institutum; Contemplare mihi, quæso, Crusi, adolescentes, vix tantum

Latine

Latinè doctos, ut animi sui sensa, quod satis sit, efferre queant, Philosophiæ & antiquitatis & Historiæ Latinæ ignaros; adeone te præconcepit amor instituti tui tenet, ut his cum aliquo fructu eruditissimos & difficillimos antiqui juris commentarios exponi posse statuas? Nosti & experiris, fieri non posse, totum uti corpus Juris auditoribus tuis illustres; obscuriora & ardua quæque, sine dubio excerptenda sunt, ut digna Interpretis ope, digna publicæ vocis officio videantur. In his tu adolescentes ita, sicut dixi, præparatos cum valido profectu versari, siccine Jureconsultos inde fieri posse credis? Non dices, opinor; sed in tuis auditoribus suppellectilem humanioris literaturæ prius, credo, requires. Quid facies igitur illis, qui non habent eam nec adferre possunt, quemadmodum decimus quisque non reperitur, qui mediocriter, neque centesimus, qui ut debet, hac parte sit instructus. Non inculcabis tamen illis compendia; domilegant, si velint; Professor altius spiret; Ille siglorum & notarum ænigmata,

Ille malas interpunctiones emendare ac interpolare, glossas variasque lectiones à textu genuino separare. luxata restituere, vitiosa sanare, plebiscita atque Senatusconsulta concinnare, fugitiva retrahere locisque suis reddere doceat. Hæc enim vis agere Professores, hæc tradere sectatoribus suis jubes. Mihi vero quid ineptius quid sanis hominibus indignius videri queat, nullomodo apparet; siquidem nec adolescentes ita, sicut diximus, instituti quicquam ex iis rebus percipere, nec si queant, ullus inde fructus ad eos redundare potest. Noli putare, me esse eum, qui spernam vel reprehendam instituti illius rationes; sed quod hæc à Professoribus doceri vis adolescentes, antequam paratitla totius juris ab illis percepta fuerint, superat omnem stultitiam; ignosce dicenti quod res est, μήτε χαλωθῆς; Nec quisquam sanâ ratione præditus ferre poterit Antecessores hæc rudibus animis inculcantes, atque eos qui Compendia talibus præscribunt corruptæ jurisprudentiæ reos peragentes. Quid vultis tandem agamus, cum iis, qui nihil quam
latini

latini sermonis & sensus communis intellectum habent? ut remittamus eos in scholas atque ad Parentes: an ut detineamus immani sumptu in Academiis, ut audiant ænigmata, quæ tu dicis? an potius, ut ejusmodi notitiam Juris in illos transferamus, per quam de causis respondere, civem regere consiliis operamque foro navare possint? Atqui hoc est in potestate compendiorum nostrorum; qui illa tenet memoriâ, distinxit judicio, probare potest legibus, ut nos ducimus Auditores nostros, hi non ineptis præditi ingeniis ea quæ dixi, præstare possunt & feliciter omni die præstant. Non est quod mihi credas adfirmanti, specta Viros Clarissimos è disciplina meâ productos, per omnes Germaniæ Belgicæque respublicas sparsos, & aude negare Compendiariam Institutionem esse efficaciorè ad utilitatem publicam, illâ tuorum siglorum, interpolationum & conjecturarum demonstratione. Quam quidem ego nunquam, ut tu facis de methodo nostrâ, contempsi, vituperavi; sed, quod toties

ties repeto, sequi debere paratitlarem Institutionem, sentio, suadeo, contendo. Nec credo, quenquam adco bonæ mentis inopem fore, qui non mihi potius, quam tibi hac parte fidem sit habiturus. Instare te quidem atque hoc unum minus ineptè in hac re, intelligo, postquam illa compendiarum in Academiis & Auditoria luridica introducta est, juventutem in ea subsistere, nihil aliud sibi proponere, nec ulterius provehere studiorum suorum curas. Hoc igitur te queri, te incusare & exprobrare juventuti nostræ, etiam verò Professoribus, si qui Auctores se talis socordix præberent, oportebat; non etiam detonare contra, quod nemo sapiens, aut juris prudens omittendum putat, neque contendere Pandectas sine compendio paratitlari esse docendas. Non ignoro, plerosque Iuridicos, ut studia & ingenia sunt, tantum temporis in hac compendiosâ totius Juris doctrinâ consumere, uti per fortunas suas integrum illis non sit, aliud deinde stadium ingredi novoque cursu de ultima coronâ denuo certare. Quod
pro-

perfecto non hujus methodi, sed hominum & seculi esse vitium plusquam manifestum est. Eoque vires eloquentiæ & auctoritatis vestræ, *Rufi* atque *Crusi*, intendere debuistis. ut generosi juvenes perfecto eruditionis amore novaque discendi cupiditate inflammarentur; non ut præcipites darentur in ejusmodi laborem, quo sparsâ tantum infinitaque lectione memoriam impleant, neque præceptis ullis regulisque universis forment firmentque judicii rectitudinem; quod ita nullis innixum fundamentis vagâ legum notitia diffuere, suâque semet intentione frustrari necesse sit. Quod si alterutrum à Juris studio abesse oporteat, vel criticam subtilitatem, vel summariam universi Juris notitiam, & si facultatem non habet utraque methodus, quâ conjungatur; age, videamus, ultra minore cum incommodo publico adhiberi negligique possit. Ecompendiis & systematibus, ita ut à nobis proponuntur & explicantur, palam est, haberi posse jurisprudentiam eo cum fructu copiaque, ut ad causas agendas, scribenda

consilia, judicandique munus sufficere possit, atque sufficiat; clarissimis atque vivis exempla argumentum undique præbentibus. Quo pertinet, quod hæc ratio & ordo ille noster exercitium disputandi publice privatimque sibi junctum habere solet. A quo vos, Crusi, juvenes tantum non dehortamini, saltem ipsi nunquam aliter quam inviti hac parte desiderii eorum obsequimini. Namque, dum in hoc toti estis, ut sensa consecutionesque locorum, quæ in corpore Juris extant, solícite expendatis, indagetis, legumque nodos emendandi conjecturis solvatis, atque in eo studiosis præcatis; idemque illos inde ab initio facere doceatis, oportet alienissimos esse vos & illos à recíprocatione cogitationum sermonumque, sicuti fit in commissionibus illis disputatoriis. Nostra viâ promptitudinem eruditionemque adipiscuntur, quæ Jurisconsultos arguat atque demonstrat. Vestri nullis compendiis imbuti universam quidem Artis scientiam, qua subnixi prompte & expedite in foro hominumque societate versentur

tur, nunquam percipiunt; argutationes quasdam, observationesque rerum ad usum nihil pertinentium, scrupulos vulgarum lectionum conjecturalque plerumque superfluas movent jactantque, & omnino talem sibi doctrinam comparant, quæ supervacua alienamque à communi usu vitaque subtilitatem, ut tibi verba tua reddam, præferre videatur. Denique, sic ego, sic omnes, qui jurisprudentiam magis in rerum gravitate, quam in verborum captatione consistere credunt animum inducimus; neminem sine compendiariâ totius Juris intelligentiâ valide promteque Jurisconsultum esse posse; nec aliter sapientissimos antiquitatis & hujus, & superioris seculi Juris Interpretes existimasse videmus. Quod si tu hisce rationibus necdum tibi persuaderi pateris, duntaxat hoc admitte, singuli ut suo sensu abundant, & sine detractione, sine convitio quisque bono publico famulas manus vocisque ministerium commodet; nec alius alium corruptæ jurisprudentiæ, neque compendia primæ institutionis, ut dispendia juventutis probrosè

probrosè accuset. *Crusius*: Ego quidem hucusque, sicut volebas, disputantem te *Bökelmanne* consecutus sum, tametsi plus è verbis meis, quam in iis erat, deduxeris. Nam si rectè animum illis advertisses, non id mihi consilium fuisse, colligere potuisses, ut usum compendiorum, sicut à Te, sicut ab aliis hominibus claris usurpantur, veluti causam corruptæ Eloquentiæ traducerem; sed festinationem nihil quam Compendia quærentium in discendo, nihil aliud in docendo præscribentium insectatus sum. Quid autem? censeo faciamus aliquando finem hujus altercationis & rogemus *Huberum* nostrum, ut & ille suffragium suum edere animique sententiam & experientiæ exemplum declarare velit; forte an medium aliquod consilium periculis seu veris sive fictis utrimque vacuum ab illo suppeditetur. Rectè, mehercle, regerebat *Bökelmannus*; Nisi enim respondendi vices ab illo mihi commodatas penitus intercipere & consumere velim, tempus est, ut desistam; quod eò jam proclivius accidit, quod

quod tu latere male recto abscedis , & plus in alieno auxilio quam in propriis viribus spei collocare videris. HUBERUS. Ego vero, si plura, de compendiis & systematibus Juris in medium proferre vellem, postquam vos in utramque partem copiosissime hoc argumentum executi estis, mihi ipsi vobisque gravis & inepte verbosus haberer. Nolite à me aliud expectare, nisi, ut eadem simplicitate, quâ utor in docendo, vobis exponam; quæ sit ratio methodusque institutionis, quam juventuti, cujus spei admotus sum, impertior; atque exinde, quam partem vestræ contentionis ego probem vel improbem, si res tanti videtur, colligendum relinquam. Enimvero non possum satis laudare nobilem Crusii indignationem adversus pravum seculi nostri morem, festinandi studia juventutis nihilque iis quam Compendiarios Systematum libellos exponendi. Sed hæc longa querela nulloque bono à nobis iteranda. Permittite mihi, ut repetitâ priorum temporum memoriâ, diversas docendi discen-

discendique juris rationes vobiscum recenseam, atque exinde, quomodo ad hanc methodum, quâ nunc utimur, perventum sit, denique ex omnium viarum comparatione, quæ præstantissimâ sit, animadvertamus. Primo omnium ante Justiniani tempora, cum ad studium Juris absolvendum quadriennium omnino definitum esset, ita usus ferebat, ut è vicies centenis versuum millibus, in quos libri de jure scripti, erant distincti, studiosis vix sexaginta millia proponerentur, reliquis omnibus tanquam ab usu remotis, penitus neglectis, atque ex illo ipso Compendio, adhuc non pauca velut supervacua præteribantur. Imperator deinde novâ Juris epitome ex duobus librorum millibus composita, methodum studendi hoc modo dispertitus est, ut omnium suorum librorum institutio quinquenni spatio absolveretur, initio ab Institutionum libellis facto, monitoque, ut ad reliquos libros paratitla quidem præscriberentur, vel ipsæ leges è latino in Græcum *κατὰ μέτρας* verterentur, prohibito autem ne commentariis
 ullo

nullo modo ad eos conscribere liceret, poena falsi constituta in eos, qui id ausi invenirentur, addita sanctione corrumpendi abolendique scriptas ejusmodi commentationes. Postea Cæsar Leo Philosophus Compendii Justinianæi fecit aliud breviarium, in quo selectas leges & Constitutiones è corpore Justiniani vertit in Græcum sermonem, etsi non ubique *πικρὰ πίδας* tam religiose observet, quam Justinianus voluerat. Atque ex hoc basilico Compendio, satis amplo tamen, rursus idem Leo fecit epitomen, opus meris definitionibus & regulis constans, præter alia *πρόχειρα*, sive manualia, quæ Constantinus Harmenopulus, Michaël Atraliota, Michaël Psellus, Antiochus Balsamon aliique plures in notitiâ Basilicorum à Suaresio recensî, ipse quoque rursus Leonis filius Imperator Constantinus Porphyrogennetes publicaverunt, sicut & peculiare Compendium Novel-larum edidit Iulius Patricius Exconsul & Antecessor Constantinopolitanus; è quibus omnibus satis constat, quæ fuerit inde à tempore Justiniani veterum Græ-

Græcorum ratio docendi discendique Juris; videlicet, incipere à Compendiis atque exinde ad Excerpta basilica, denique progredi ad universum corpus Justiniani: nec eos ita existimasse, dispendium id esse doctrinæ juridicæ, si τὰ κάλλιστα χρειώδητι καὶ ἀναγκαϊότατα συντεμόντες ἐν προχείρῳ βιβλῷ συντάττοιεν, verba sunt Harmenopuli, *si pulchriora, & utiliora maximeque necessaria in libro manuali colligerent.* Imo patet ex eodem Harmenopulo cæterisque superstitibus, id eos egisse, uti, quæ à tempore Justiniani ad suam ætatem plus annis quingentis evenerant mutationes additionesque legalis disciplinæ, earum in suis epitomis notitiam studiosis impertirentur. Quod rursus velim observari adversus eos, qui his diebus Artem Juris contaminari violarique clamitant, si quando aliquid hodiernis Juris manualibus è moribus institutisque sequentium temporum misceri adjungique sentiant. Græci Imperatores, & Jurisconsuli, utcumque successores Justiniani in eodem Imperio minime religioni duxerunt, Illius jurispru-

prudentiam ad usum sui temporis accommodare; ineptosque se fore crediderunt, si compendia & manualia sua, quibus adolescentibus summas Juris positiones tradebant, perinde composuissent, ac si Iustinianus adhuc viveret nihilque ab ejus ætate fuisset innovatum. Nos vero post alios sexcentos & quod excedit annos, extincto Justiniani Imperio, qui jus Ejus haud aliter, quam ad supplendas leges domesticas cujusque populi recepimus, non audebimus juventuti nostræ manualia præscribere, in quibus eos admoneamus, quid de jure verusto moribus hodiernis observetur aut secus? Sed pergamus. Dum ita Græci Juris scientiam suis moribus & institutis aptatam excolebant, interea in Occidente cum Imperio leges Romanæ exulabant & ignorabantur; donec Lothario Saxone Imperatore, quasi postlimio studium ejus instauraretur. In his initiis, prima quidem ingeniorum occupatio fuit eaque sola, libros Justiniani evolvere, dare operam, ut intelligerentur, diversos libros legesque inter se conferre, dissiden-

tia conciliare, posterioraque cum prioribus conjungere; cuius rei Specimen Irnerius in Excerptis Authenticis per Codicem spargendis audax & nobile dedit. Secundum hæc principia progressi sunt homines studiosi ad proponendas Auditoribus suis Summas, ut loquebantur haud absurdè, librorum Iuris, quæ nihil aliud fuere, quam paratitia, quæ Iustinianus appellat Græco vocabulo, idque potissimum ad Institutiones atque Codicem, ut Placentinus & Azo præverunt. Ita enim existimabant, Codicem potius quam Pandectas iis, qui Institutiones perceperant, esse prælegendum, quia recentius in illo jus est ususque in foro certioris & frequentioris, quâ gratia Novellarum argumenta singulis in Codice Rubricis Irnerius ille subjecerat, quod illorum institutum ad formandos iudices causarumque Patronos, id est, validos Iurisconsultos, non erat, ut magnopere improbaretur, utcunque aliter deinceps visum fuerit posteris. Iuxta summas pro tyronibus Artis, in usum proveciorum scribebant glossas, quæ sunt

sunt breves interpretationes legum, secundum ordinem verborum, in quo genere facile principem locum tenuit Accursius. Fuere, qui intentiore præ aliis curâ jus Romanum flecterent ad tritum forensis, cujus rei præcipuus Auctor Durandus ille, dictus pater Practicæ, laudatur. Postea cum glossandi materia consumpta summarumque satis esse videretur, secuti Interpretes ingenti apparatu ad commentarios in omnes juris libros legesque scribendos se contulerunt; spreto jam repudiatoque Iustiniani præcepto, quod priores, summis atque glossis contenti, utcunque servaverant; quippe, cum illæ Cæsaris edicto exactè congruerent; hæ tam modice ab eo recedebant, ut auctoritatem ejus comiter industrieque custodire velle viderentur. Sed commentandi signum imprimis extulere Bartolus de Saxoferrato & Baldus de Ubaldis; aque exinde copia enormis consiliorum, responsorum omnisque generis commentariorum jurisprudentiam, ad veterem, quæ fuerat ante Iustinianum, incertitudinem, du-

bitationem confusionemque, sicut ipse prædixerat Cæsar, reduxit atque deformavit; ut non minus ad communes Doctorum sententias quam ad ipsos fontes legum consilia sententiæque exigerentur. His temporibus juvenus ad studium Juris accedebat, imbuta, si forte, Philosophia scholarum, illâ spinosa & incivili, à notitia utriusque literaturæ & antiquitatis alienissima; nec alia ratio Juris studio constare potuit, usque dum superiori seculo humanioris literaturæ lux è tenebris ignorantiaë barbaricæ emerfit. Ab eo tempore cum novam faciem induit univèrsa Jurisprudèntia, tum ratio quoque docendi atque discendi Juris alia planeque nova invaluit; neque tamen ea sine aliquâ varietate. Videntur omnino Juris Interpretes, qui literas politiores cum suis scientiâ conjunxerunt, duorum fuisse generum. Quidam intra solos Juris Romani limites se continere nihilque aliud agere voluere, quam ut libros à Iustiniano relictos illustrarent aut emendarent. Alii faciendum putarunt, ut intelligentiam Juris antiqui cum usu nostri

nostri seculi peritiâque forensi conjungerent. Priores inter, familiam duxere *Cujacius, Duarenus, Donellus*. Inter posteriores excellere *Zafius, Alciatus, Viglius*; ex ingenti numero Triumviros edidisse satis est. Sunt etiam, sicut notis, qui non tam jus, id est, scientiam boni & æqui, quam antiquitates & Philologicas observationes libris Justinianeis adsperserunt, quales Antonius Augustinus, Budæus atque Rævardus. Hi omnes inter alias industriæ suæ partes operam Arti utilissimam navarunt, emendando corrupta juris antiqui loca; quod tamen neminem cum aliquo laudis successu videmus aggressum, quam qui copiam librorum veterum, maxime Florentini Pandectæ habuissent, aut ubi coniecturis utendum videretur, qui longo docendi scribendique usu literisque tam Græcis quam Latinis culti famam auctoritatemque insignem adepti forent. non ignoro fieri potuisse & aliquando contigisse, uti qui neutram horum subsidiorum facultatem haberent, tamen felici quadam coniecturâ nodum alicujus

jus loci detexissent atque sanassent. Specimen hujus rei dedit *Dominicus Baudius* jurisconsultus minimè equidem Validus; à quo tamen *Grotius* monitum se fatetur, apud *Ulpianum* in l. 1. §. 45. w. *Vnde Vi. pro possidet*, legendum esse *possedis*, præter quem locum ego non recordor, *Grotium* in universa florum sparsione ad omnes *Iustiniani* libros, ullam lectionis ab omnibus receptæ mutationem, adstruxisse; cum eam doctrinæ partem merito inter gravissima jurisconsulti officia reputaret

*Hoc faciant, adolens Themidis Cujacius aris,
Ingentique bono nomina nata Fabri*

canebat ipse, cum juvenis suos flores adspargeret *Iustiniano*. sicut olim *Alcibiades*, ut refert *Plutarchus*, Magistro prædicanti, se corrigendo *Homero* parem esse, *Næ tu*, igitur stultus, inquit, es, qui adhuc scholæ des operam. Res enim est manifesta, neminem hanc studii partem in quâque disciplinâ profiteri posse, qui non omnibus numeris in eâ sit exactus & absolutus, judicioque multa lectione continuâque tractatione rerum, in quibus versa-

versatur subacto limatoque ; siquidem non modò callere , sed etiam judicare suam Artem , & probare vel improbare , quod ab Artis tuæ conditoribus extat relictum , sine dubio ad summum , ut auctoritatis , ita scientiæ peritæque fastigium pertingit. Unum intelligo *Antonium Fabrum* ad hoc institutum se contulisse natum annos viginti quatuor , neque manuscriptis instructum , nec etiam magnopere subnixum collatione veterum monumentorum , qui lectionis suo tempore receptæ fidem tacere potuerint. Enimvero non adsentior *Bachovio* , qui cum clementer loquitur , cum appellat hominem corrupendæ jurisprudentiæ natum ; tamen *Wissenbachius* noster hoc nimis avide convitium arripuerit , auditoresque suos à lectione conjecturarum ejus graviter dehortari sit solitus. Id tamen existimo , emendationes ejus esse plerasque non necessarias , atque ita comparatas , ut ab aliis , sicut ipse fatetur in præfatione suâ , refelli non nequeant. In hac autem ego sum hæresi & libenter ἐυχομαι εἶναι , in explicandis

candis scientiæ juridicæ nodis esse duas
sacras anchoras, quibus non sit uten-
dum, nisi extremâ necessitate cogente:
sunt autem hæc meo iudicio, *confessio
antinomia & mutatio lectionis receptæ.*
Sunt qui hosce modos tollendi difficul-
tates legum appellant *viam Regiam*; sed
quibus Artis suæ honos & integritas cor-
di curæque est, non possunt aliter arbitra-
ri, quam hanc esse viam militarem sol-
vendi nodos gladio, decus autem Artis
prostituendi ludibrio & ipsam dilace-
randi. Nimis hæc acerba dicta *Crusii*
auribus accidebant, quam ut diutius ea
silentio transmittere posset. Atqui ego,
Hubere Clarissime, modo non audebam
præsumere, ait, quod nimis aperte jam
profiteris, esse te averso animo ab illa
parte studii, quod inde à renatis literis
veras Iurisprudentiæ delicias fecit &
clarissima nomina superioris seculi æter-
næ posteritatis admirationi consecravit.
Imo vero, *replicabam*, nemo præclarius
de illo genere sentit, nemo magnificen-
tius de auctoribus, quorum tu laudem de-
monstras. Ita enim existimo & semper
arbi-

arbitratus sum, Professionem studii Juris critici quod in emendandis mutandisque legum dictis consistit (ita utimur verbo) habendam esse pro fastigio & quasi complemento doctrinæ legalis, fere, sicut censura fuit habita, respectu Magistratum Romanorum. Sed ut optima quæque pessimo modo corrumpuntur, ita nihil exitiosius arti Juridicæ, quam temeritas & luxuria Criseos esse mihi videtur. Nam reliqua docendi vitia, sive in methodo præposterâ, sive in conciliandi pigritiâ, sive in ipsa sententiarum perversitate consistant, ipsos Artis libros intactos relinquunt, Critica male exercita leges ipsas corrumpit & sacrum Juris corpus violat ac imminuit. Ne vero hujusmodi infinitâ oratione præstantissimum institutum malignè à me putes arrodi, dicam, quod pace tua fiat, quid in vestro, Crusi instituto potissimum mihi displiceat. Primum atque præcipuum id esse puta, quod occupavi dicere, vos prima docendi juris rudimenta ponere in emendationibus, nec aliam credere januam famæ parere, quam si receptas

probatasque ab antiquissimis codicibus lectiones sollicitetis ac invertatis. Quodque pejus exemplo est, adolescentum, qui se vobis committunt, initia talibus conjecturis earumque subtilissimis probationibus occupatis, antequam terminos & regulas artis universæ methodicâ institutione, quam penitus improbatis, perceperint, quâ re nihil inutilius & à verâ docendi discendique ratione alienius esse potest. Ex quorum genere non est mirum nasci tales juris criticos, quales illud vetus dictum notat, emendandis legibus neminem se dedere, nisi qui de legibus nihil intelligat; quod equidem si de omnibus, qui in hac provinciâ lauream quæsi-verunt, interpretati sint, injurium falsumque esse non negaverim. Alterum, quod male me habet, est, quod, cum vos manuscriptis libris, quorum variæ lectiones superioris seculi Censoribus argumenta præcipua corrigendi præbuere, careatis, tamen hanc viam initis, ut emendandi institutum proram & puppim studiorum vestrorum occupet, nec aliud quic-

quicquam, nisi quod urit & fecat oculis hominum famæque experimento dignum judicetis. Enimvero, si quis in indagandis legum sensibus ejusmodi quid reperiat, quale temulento sed elegantis ingenii Baudio occurrit, in laudato modo Ulpiani responso, bene se res habet & *feliciter!* acclamabimus. Res enim ipsa loquebatur, Edictum unde vi, quod dejecto datur, dari non posse ei, qui *possidet*, hoc est, non dejecto. Incidit Baudio, *possedit*. Non potest aliter; nec est qui obloqui possit. Si quid simile vobis hæserit, agite, applaudemus & gratulabimur, *vænnas*. Sed hoc operam dare, leges hac gratia scrutari, ut latentia & ignorata vitia indagentur, ubi nulla codicum antiquorum suppetit collatio, non videtur habere dignum viro sapiente fructum eruditionis. Mihi sic animo sedet, libros juris evolvere, ut inde regulas & exempla rerum agenda- rum colligam, imitarique cupio *Antonii Mornacii* inter alios multos institutum, qui rarus erat in Doctoribus Accursianis & Bartolistis, rarus in novitiis Inter-
preti-

pretibus communibusque sententiis inter se comparandis ; sed ipsi Juris corpori incumberebat , ipsas leges memoriâ judicioque subigebat ; & tamen idem rarus in emendationibus censurâque juris antiqui ; unam hanc , pulcherrimamque facultatem acquisiverat , quibuslibet factorum speciebus applicare textus legum , exactè singulis convenientes , omniaque ad usum humanæ societatis referre ; neque minus tamen idem eloquentiâ omnique literarum cultu excellebat. Nisi me vehementer opinio fallit , hac ratione Jurisconsulti officium melius impletur , quam perpetuis finemque contendendi non habentibus emendandi conjecturis. Maxime quando ita conjecturalis illa Crisis exercetur , ut proprias opiniones vestras de juris controversiis adjuvetis , rationesque adversantium & obstantia legum argumenta refellatis ; quod quidem tertio loco animadvertere cupiebam. Nam si toleranda sine manuscriptis est emendandi licentia , duntaxat tam evidens esse debet , ut minus facile refelli quam adstrui & approbari possit.

possit. quod de talibus, quæ tuendis opinionibus, in quibus Interpretes discrepant, adhibentur, nullo modo licet adfirmare; cujus rei luculenta specimina dedit Antonius Faber, dantur hodieque similia. Constituimus inde ab initio de singularibus inter nos discrepantiis haud agere; quanquam tua de articulo seu lege C. 1. π. de verb. obl. sententia, pro obligari legendum esse obligare, nimis pulchre huic loco conveniebat. Vidimus & Salmasium de mutuo cum Jurisperitis disputantem eodem genere pugnandi usum; neque dubium, quin hac licentiâ invalescente; quilibet Artis imperitissimus idem jus sibi in Justinianum, quod in alios suæ notitiæ scriptores exercent, brevi sit usurpaturus. Quid dico accipites celebresque diversis auctoribus sententias corrigendis legibus in partes alterutras rapi! aperta via est & patula porta, quam videmus, adscribendi conditoribus Artis sententias ab æquo bonoque alienissimas, Reipublicæ infestas planeque *ἀνεπίστατες*. Dicam, & emendandi sacro artificio distantes faciam
Juris-

Juriconsultos, nullam eadem mortis poenâ mulctandam esse, nisi quæ more latronis, alto consilio animique prædestinatione commissa fuerit; in rixâ quæ fiunt homicidia, subitis animi motibus, etsi cultro, sicâ, gladio extra ordinem leniore quam capitis supplicio adficienda. Ergo fas erit, Lapithas & Centauros convivia fortuitis rixis & promiscuâ cæde cruentata sine metu mortis celebrare: qui rapido furore sodalium sanguinem duellis hauriunt, nihil amplius ultorem gladium metuent. Quin tu, si istuc alius prætextu criticæ auctoritatis obtinebit, aliunde probes, ordinariâ furti poenâ eximendos, qui subitâ cupiditate accensi res alienas abstulerunt: Qui matrem familias alienam improvisâ libidine motus corrupit, cum expressâ legis Iuliæ sanctione non teneri: neque Textus deerunt, è quibus mutatis lectionibus hæc aliaque possis evincere, si lex Corneliâ violentis hominum affectibus eoque violentioribus, quia subitis, in atrocissimi criminis temeritate ignoscit; aut, si hæc sententia sagacitate criticâ legibus

legibus inferri potest. Nescio, ad illa CRUSIUS; quorsum hæc ultima spectent, nec imaginari possum, quis ad stabiliendam opinionem, ut mihi videtur, inauditam, articulum ullum veteris Jurisprudentiæ vellet immutatum. Posse e quidem singularibus & exquisitis personarum rixarumque circumstantiis judici mitigandæ poenæ causam dari, fateor; ut apud Alciatum me legere memini, de puero, qui fortuita irâ collusorem suum cultro percusserat. Verum si quis inde colligendum putet, homicidia quælibet rixandi studio sicis & gladiis admissa, mitiore quam capitis supplicio adficienda, nã ille parum consuleret incolumitati generis humani; quod salvum esse non posset, si violenti affectus rigidis poenarum frenis à facinoribus non cohiberentur. Cætera tua, Mi Hubere, nunc quidem prætereo, nihiloque secus Crisim juridicam, saventibus Musis, dum spiritus hos reget artus, alacriter exercebo, neque morabor, *Si livor obtreâtare curam voluerit, donec seculum criminis sui pudeat.* Colligamus igitur vela, *regerebam*, propinquo portu;

tu; neque libet mihi recipere ferram, à qua Tu manum generoso contemptu amovisti. Unum addam, me sequutum esse in adolescentia sectam hominum, qui variæ eruditionis liquore non tincti leviter sed imbuti, tamen in correctionibus legum venditandis auditoribus suis non præverunt. *Vinnius, Matthæus, Wissembachius*, moti, sat scio, rationibus à me pridem expositis; tum vero hac inprimis; quod satis compertum habebant, eos, quibus hæc præcipua Criseos professio arridet, ab omni systematicâ doctrinâ, denique ab omnibus, quæ civilem prudentiam tradunt disciplinis alienos averfosque esse; cujus specimen habuimus τὸ πρῶτον Salmasium, quem satis constat, cum alia hujus generis, tum divinum Grotii de jure pacis & belli opus insolenter adspernari, atque ad omnem politicam civilemque doctrinam tantum non nauseare consuevisse; quod & aliis, si non omnibus ejusdem instituti rigidis cultoribus evenire notabiliter animadvertimus, ejusque contemptus Salmasio fructus in successu defensionis

Regiæ

Regiæ constitit haud omnino gloriosus. Præceptores illi mei sic arbitrabantur. officii esse sui, facere Jurisconsultos, id est, homines qui de quolibet facto consulti respondere, cavere, scribere possent; quas boni jurisconsulti esse partes, ut olim Cicero tradidit, ita hodieque facultates eadem illud nomen atque munus implent, à cujus gravitate eos, qui solis verbis & syllabis inhærent, mirifice videbant esse alienos. Enimvero non debeo præterire, Wissenbachium nostrum fuisse maximum sui temporis Criticum, idque ei hæsisse à præceptore suo Matthæo Seniore, Groningensi; sed prorsus alio genere Criscos, ac illud est, quod in siglis & notarum ænigmatibus occupatur. Tenebat homines clarissimos immodica consuetudo demonstrandi nævos juris, vel potius, ut loquuntur, detegendi flagitia Triboniani, errores veterum Juris magistrorum, omniaque inhonesti absurdi, falsi notâ, ut ipsis videbatur, deformia passim indagandi, in locos communes redigendi atque exagitandi in auditoriis & in libris

F

suis.

suis. Habet hæc facultas speciem libertatis & ingenuitatis neque vulgare famæ lenocinium; satis videlicet animi esse Juris Interpretibus, ipsos Artis suæ Conditores vocare sub censuram; ideoque res hæc admodum latè patet, ut ingentes libri censuræ Juris Romani extent in lucem dati. Ego nunquam aliter de hac parte Criseos sensi quam de Antinomis & emendationibus, non utendum illis, nisi extremâ cogente necessitate. Non puto sacrilegium reprehendere Justinianum, vel antiquos Justitiæ sacerdotes, quales sê merito appellari posse credebant; sed hoc affectare gloriamque exinde captare, sicut facere videntur, qui numerum Juris nævorum tam immaniter augent, alienissimum ab officio boni Interpretis esse videtur. Nescio, quâ mea simplicitate fiat, ut judicium meum à judicio communi, quo jus Romanum nititur, admodum raro deflectat. Ideoque dedi hoc biennio in publicis lectionibus operam, ut demonstrarem, plerasque loca Juris nostri, quæ ut iniqua, inhonesta, falsa, absurda traducuntur, sano sensu

sensu intellecta, nihil ejusmodi continere, cujus à claris hominibus insimulantur. E quarum lectionum memoriâ nescio, an non aliquando censuram Censuræ Juris Romani & Anticriticam, hujus generis incorrupto eruditorum, judicio sim propositurus. Quæ mea de criticâ studii Juridici professione stetit, sententia, satis abundeque differuisse, videor. In historicis similibusque veterum scriptis, ubi nulla dogmata in humanâ societate stabilita traduntur, res non habet tantam ἀναδεωξήσιν; quam ego, si & in hoc ipso genere me continuissem, experimenta professionis & famæ ab emendationibus prima non cepissem, neque tamen, si quæ mihi oblata fuissent, abrupte averfatus essem, quo pertinent exempla, quæ modo mihi è dissertationibus illis Historicis objiciebas. Quod ad systemata compendiosa universi juris attinet, non discrepat instituti mei ratio à communi omnium temporum consuetudine, nec adeo ab iis quæ modo in hanc rem luculenter ab Excellentissimo Bökelmanno prolata sunt

in medium. Denique nollem, mi *Crusi*, tantopere placuisses tibi, ut rem ab omni ordine judicioque remotissimam, cum atroci invidiâ secus agentium tam fastidienti oratione persecutus esses. Nec est, quod dicas, ut postremo desinebas, te paucos notare voluisse nundinatores sanctissimæ Artis, qui Juris Doctores intra paucos menses perficiendos impudenter suscipiunt. Nam hi profecto sunt pauci, nec, si aliàs bene se haberet Ars Juris, horum causâ, de corruptâ Jurisprudentiâ queri in mentem tibi venisset. Tu latè patentem errorem universalemque vituperasti, qualem vis illam esse præparatoriam Compendii Institutionem. At vero nollem illum ἀνίνορα θυμὸν, generosum illum spiritum, qui ad instaurandam Juris disciplinam tanto cum impetu adsurgit, inde reformationem auspicari, quo maximè obtento, reformationem in se ipsam ruere oporteret. Ego verò, CRUSIUS, actum agere nolo, & si removendæ sunt amplius ratiunculæ vestræ, quod in proclivi foret, hujus quidem collo-

colloquii odium, sicut vos instituitis, jampridem me habet; aliàs dabitur occasio; nunc ad alia transeamus: Cavendum enim, ne materia novi dialogi succrescat, neve reliquis convivis parum officiosi longiore secessu videamur. Illi quidem, excipiebat *Wijn-gardenius*, suis quoque fabellis detinentur. Sed antequam digrediamur, ne plane *κωφὸν πρὸς ὄσον* in hac scenâ esse videar, date mihi quoque locum, non dicendi sententiam, neque refellendi quicquam à vobis dictum & disceptatum; sed rogandi Te potissimum Hubere Clarissime, non quæ causa corruptæ sit Jurisprudentiæ, nec, an compendia sint, dispendia juventutis; sed quoniam me favor studiosorum, potius quam meritum eruditionis meæ in partem aliquam docendi, indultu Amplissimæ Facultatis Iuridicæ recepit, scire cuperem, quo potissimum ordine, quibus studendi gradibus adolescentes mihi commissos ad Themidos sacrarium deducere possim. Quando autem Cl. Bökelmani Crusi que humanitas sem-

per ad illos aditum mihi præbet , Tui maxime consilii præscriptum ad exempli copiam mihi relinqui desiderarem. Intellexi equidem genus universum instituti , quod in studio Iuris excolendo probes atque commendes , sed opus est mihi exactâ magis & speciali descriptione , ac quasi manu ductione à carceribus ad metam , quod ajunt ; Etsi enim tuus aliquandiu fuerim Auditor , ideoque ordinis quem serves , ratio mihi non plane ignotus esse queat , haud tamen dubito , quin longâ discendi docendique experientiâ collegeris & secreveris monita non tralatitia , quæ in promiscuo studiosorum concursu proferre non solebas , quæque mihi hanc docendi viam primum ingredienti multum conducere posse crediderim. Ergo Tu quoque , *respondebam* , in eodem versaris errore *Wijnwardeni* , quo vulgus studiosorum teneretur ? Enimvero sæpe mihi usus venit , ut adolescentes discendi cupidi privatim me adirent atque ad interioram amicitiam aditum affectarent ; haud aliâ gratiâ , quam ut peculiarem methodum

secre-

secretamque viam sibi panderem atque monstrarem, per quam celerius & feliciter eruditionis iter conficere possent. Respondere sum solitus, maximum quod illis suggerere possem arcanum, esse laborem indefessum in eâ viâ, quam publice illis præirem; pararent se diligenter, antequam ad audiendum venirent, auscultarent attente, notarent quod non lectum prius audirent, cuncta repeterent domi, conferrent cum fontibus legum, mandarentque memoriæ; rursus offerrent se examini, quoties occasio foret; hoc agerent, ut tyrocinium suum paucis onerarent præceptis, attamen universæ artis, eaque validissime sua facerent, & in causas fontesque rerum ubique penetrarent. Quando tamen ejusmodi summâ cohortatione non videris esse contentus, utcunque nihil inusitati arcanive polliceri habeam, nolo tamen deesse facilitatem meam desiderio tuo, quod ex animo, veteris amicitiaë disciplinæque memore, proficisci, facile mihi persuadeo. Cæterum, non est quod expectes ita Iurisconsultum à me for-

matum iri, sicut Stoici suum sapientem, describunt, neque ut Cicero suum oratorem esse voluit, cui nihil desit, qui quod summum est, quod nemo forsitam unquam adtigit, sit consecutus, nec à studioso tantum laboris durique in semet imperii exigam, sicut alii plusquam heroico instituto faciunt, ut merito vix esse tanti, eruditum esse, inexperti arbitrentur. Agam civiliter, atque ita, ut adolescentes ne desperent effici posse, quod ipsis præscribatur. sic igitur ego suaserim; Qui animum ad studium Juris applicat, cum primo adniti decet, ut literas ac artes, sine quibus Jurisprudencia non potest valide percipi, mediocriter addiscat. Literas intelligo Latinas & Græcas, priores exactius & cultius; alteras ita, ut scripta veterum, saltem interpretis ope distincte & cum ratione tractari possint; sub literarum studio Historicum me complecti facile præsumetur: Artes quæ ad Juris studium præparant requiro Logicam, etsi hæc pene jam obsolescat, atque Ethicam, Mathematicas artes & Phy-

Physicam si quis addat laudo, exigere non audeo; neque politicam præmitti sed potius comitari volo studium Juris; de oratoriâ quoque nihil dixi; nam præcepta Rhetorica literarum studio implicita sunt, Facultas scribendi habendique orationes mihi videretur omnium difficillima, ideoque interpretatoria non collocanda; sed alia styli exercitia in hunc usum soleo commendare; vera eloquentia ex omnium rerum notitiâ exundat & exuberat, ideoque majorem postulat eruditionem, quam ab adolescentibus, qui necdum jurisprudentiæ maturi sunt, præstari possit. Plura de propaideuticis non dicam; nec enim dubium credo cuiquam esse, quin liberalia Literarum & Artium studio Juris præmittenda sint; quomodo autem in illis sit versandum, à me hoc quidem tempore non expectas ut edisseram: nisi unum, quod alii forsitan omnium minime expectabunt, monendum videatur; adhibendas esse literas & Artes sane, priusquam leges aggrediare, sed tamen heic quoque lo-

cum habere Terentianum illud, *Ne quia nimis*. Intellego, non sine offensâ *Cru-ssii*, forte nec sine admiratione *Bökelmanni* tuâque id à me adfirmari. Quis enim non potius stimulum ab hac parte quam sufflamen opus esse arbitretur? Certe stimulum multò magis esse necessarium juventuti res ipsa loquitur, nosque jam publice privatimque sæpe confessi sumus. Attamen generosis animis, qui philosophiæ literarumve amore capti se totos illis dedunt, ego modum imperare non dubito; saltem hæctenus, ne legale studium inchoare cunctentur, ubi primum ingenio iudicioque ad accipiendam Juris disciplinam maturi facti videantur; etsi in Artibus aliis humanisque literis nondum eo provecti sint, quo pervenire possunt & debent, qui harum laude conspici atque censeri cupiunt. Ratio constat ab experientia, quæ sic fere me docuit evenire, uti qui diu multumque philosophiæ, literisque ac historiis immorantur, earum amœnitate vel facilitate eo modo in sinu suo adficientur, uti cum ad Leges se conferunt,

runt, earum studium putent esse tetricum & asperum, ægreque ab animis suis impetrare soleant, ut earum disciplinam libenter & alacriter suscipiant: Nemo autem discit aut proficit invitus & reluctante naturæ suæ ingenio. Velim igitur, qui studiosus Juris esse cupit, idem agat, quod mihi Wissenbachius noster auctor fuit, ut cum annum integrum in præparatoriis studiis commoratus essem, Institutiones Justiniani audirem atque deinceps in percipiendis integræ Artis elementis perseverarem. In illo anno vellem studiosum meum audire Logicam & Ethicam, ediscere compendium historię universalis & dare operam, ut plane pleneque Suetonium intelligeret, In quo pleraque ad antiquitates Romanas & Juridicas spectantia facili ordine atque historico offerunt se explicanda: Nam in omnibus vivam præceptoris vocem, si copia detur, adhibendam esse non est ambigendum. Interim in legendis aliis Historię antiquæ scriptoribus vacuo tempore pergendum, neque minus, in continuo styli exerci-

tio,

tio, non modò lectione sed & imitatione veterum eloquentiæ auctorum. Si qui sint, quorum ætas & ingenia non habeant eam facultatem, ut unius anni decursu his rebus mediocriter defungi possint, his, scilicet, tantum temporis adjiciendum puta, quantum opus est ad capiendum talem profectum, qualis validioribus intra anni spatium contingere potest. Neque deerunt, qui & de physica deque mathematicis eodem anno primitias capere possint. Ubi vero studium Juris anno secundo inchoatum fuerit, nolo novum Iustinianæum ita se totum solis legibus dedere, ut inchoata bonarum artium literarumque studia deserat, nec amplius ad se pertinere putet. Nihil æquè delectat quam varietas, nec est alia dignior studioso recreandi animi ratio, quam in amœnitate doctrinæ facilioris. Atque hanc viam, quæ consistit in continuatione studiorum primi anni, per omne tempus discendi juris, eò fidentius commendare soleo, quod per eam non modo ad Artis Iuridicæ peritiam feliciter perveni, sed & elo-

eloquentiæ ac Historiarum professioni deinceps admotus, ei qualitercunque satisfacere visus sum. In hoc autem præstat illa, diversæ rationi, quæ plures annos præparatoriis studiis præscribit: quod & notabile temporis compendium facit, cujus summa ratio constat studiosis, & quod illam aversionem, quâ fere laborant, qui valde sunt philosophi & critici, antequam jus didicerunt, avertit atque consumit. Porro ipsum Iuris stadium hoc modo inprimis decurrendum existimo, ut id quodammodo duplex esse meminerint studiosi. Primum certis gradibus confectum sufficit ad forenses exercitationes cum fructu suscipiendas; alterum ad interiorem Iuris antiqui notitiam & ejusmodi facultatem acquirendam pertinet, quæ ad Ius explicandum docendumque sufficiat. Primum duobus intervallis absolvitur, Institutionibus atque Pandectis. Institutiones velim bis tractari audiendo atque respondendo. Nam sola auditio nequaquam sufficit ad expromptam validamque Iuris scientiam consequendam;

primo.

primoque statim ingressu qui serio vult
 proficere, non debet inutili verecundiâ
 superbiâque animi deterreri, quominus
 examini se quotidie committat. Iuxta
 secundam auditionem disputandi exer-
 citium sedulo inchoandum & omni tem-
 pore, quod juri impendatur, continuan-
 dum censeo; cum nihil eo sit efficacius
 præparando animo, sermoni, ori ad
 publicas actiones, in quibus aliquando
 se Iurisconsulti exhibere atque præstare
 debeant. Expositio & disceptatio fun-
 damentorum Iuris in hoc primo stadio
 non potest aliter regi, quam secundum
 positiones compendii alicujus systema-
 tici, quâ in re nihil addendum habeo,
 ad ea quæ Bökemannus noster in hanc
 rem exactè disseruit. Nam quia primus
 studii Iuridici cursus adolescentes aptos
 reddere debet ad respondendum, caven-
 dum, scribendum quibus partibus idem
 vir Clarissimus officium Iurisconsulti do-
 cuit absolvi; palam est, eodem modo no-
 bis in hac vîâ esse procedendum, quem
 Græcos tribus post Iustinianum seculis
 tenuisse modò probavimus, & quæ in
 lupe-

superiori disputatione luculenter scite-
que demonstrata est. Primâ deambula-
tione hujus itineris, quod ad Institu-
tiones dirigitur, nihil aliud ab adolescen-
tibus exigo, quam ut dictata Præcepto-
ris sui memoriâ udicioque subigant, ea-
que cum textu Iustinianæo Regulisque
Iuris & præceptis de verborum signifi-
catione præse accurateque conferant. se-
cundâ auditione textus cæteros, qui è
Pandectis & è codice magno numero in
explicandis Institutionibus adducuntur,
inspicere, examinare, perpendere debent,
quod nemo aliter, quam sudante cere-
bro, sat scio, præstabit. Atque hæc est
anni integri justus labor, accedente,
quam dixi, continuatione studiorum li-
beraliorum & humaniorum. Sequentem
annum Pandectis impendere oportet,
eâdem præcunte methodo summariæ
institutionis, quæ materiam omnem
Artis definitionibus & partitionibus ex-
haurit, eisque decisiones Quæstionum,
tam quæ ad integritatem Artis anti-
quæ, quam inprimis, quæ in usu rerum
humanarum hoc seculo versantur, ex
ipsis

ipsis juris fontibus addit & innectit. Quia
 autem mea sic est ratio; Quam Artem
 aliquis omni vitæ suæ tempore vult
 profiteri, quâ fortunam rerum suarum
 fulcire cupit, hanc cum prompte vali-
 deque scire atque in habitum, quod
 Philosophi crebris actibus fieri docent,
 convertere debere; censeo, repetita
 prælectione audientiaque & examina-
 tione opus esse. Proinde biennio non
 minus in Digestis, eo modo transigen-
 dum: Etsi enim Pandectas ego ita tra-
 dere soleo, ut quæ in Institutionibus
 exposita sunt, illic denuo per novas po-
 sitiones non tractentur aut explicentur,
 tamen annus utilis Academicus opus est
 ad summariam quinquaginta librorum
 interpretationem. Interea tamen tem-
 poris, operanda est Studioso, ut non
 modo leges, è quibus positiones juris
 probantur, assiduo intenteque perlegat
 seduloque inde, quæ ad intelligendam
 Artis doctrinam faciunt, colligat; sed
 & observationes ad illustrandam augen-
 damque eam pertinentes, quarum mate-
 ria gnavo scrutatori literarumque &
 philo-

philosophiæ perito deesse non potest, à notitiâ receptorum sententiarum segreget atque recondat. Quod autem omnium ego præstantissimum in hoc instituto consilioque meo esse comperi, id est; quod qui in illo triennio, Institutionibus & Pandectis occupato, vacuum tempus evolvendis scriptoribus antiquis impendunt, inde jam Artis suæ gnari, seligere & ad idoneos locos referre possunt omnia, quæ ad illustrandum jus Romanum in Philosophis, Oratoribus, Historicis atque Poëtis reperiunt, quod facere non possunt, qui ad legendos antiquos sese totos conferunt, antequam Artis, cui se potissimum dedere cupiunt, universam compositionem teneant. Quando enim in omnibus excellere multitudo rerum infinita & ingenii humani imbecillitas non patitur, optima ratio est, in unâ duntaxat scientiâ quod summum est affectare, de cæteris excerpere, quod ad illam unam pertineat ornandam & illustrandam; hoc facere non potest, qui compendiarium Artis illius notitiam animo non præcepit;

G

pit;

pit ; ideoque nec jurisprudentiam ex antiquis augere & expolire poterit , nisi qui prius Arte cognitâ , fixerit terminos , quibus obvia quælibet includere debeat. Triennio in Iure , quadriennio in Academiâ sic absoluto , Studiosus , cui ratio temporis sui bene constet , ad alterutrum finem se comparare debet , ut vel ad forum se conferat , cuius exercitationibus parem doctrinam adipisci jam potuit ac debuit ; vel ut alterum Iuris discendi stadium renovato studio ingrediatur. Pars equidem multo maxima finem Laborum in illo primo stadio ponit , nec aut ipsi cupiditate proficiendi , aut parentes sumptuum prorogatione ad alterum decurrendum sufficere vel durare solent ; nec ideo tamen posterius priori anteverendum esse quisquam rectè atque ordine suaserit : Nam qui Iurisprudentiam forensem animo suo proponunt , his solum & forum Ius antiquum in omni sua subtilitate critica tenere non expedit neque sufficit , opus est illis institutione moribus Cœuli adtemperatâ. Talis cum elo-

quæ-

quentiâ Latinâ, Græcismi notitiâ, Philosophiâ ac Historiâ literisque reliquæ humanitatis conjuncta, quam hæc nostra methodus requirit & præstat, in exitu quadriennii laudabilem Jurisconsultum, etiam sat criticum exhibere potest: modo Politicam & juris publici doctrinam in illo triennio non omiserit addere privati Juris institutioni; denique, tunc etiam foeta mens cognitione rerum gravissimarum justis orationibus eloquentiam exercere potest. Enimvero, si quis hæc ita generose persequatur & impleat, ut nostra methodus dictabat, cum ego non dubitem, pari alacritate stadium alterum, quod diximus, interioremque studii juridici partem aggressurum: quod, videlicet, consistit in attentâ lectione totius Juris antiqui, sicut à Justiniano nobis est relictum, ejusque collatione cum reliquiis eorum scriptorum, è quibus Cæsar corpus suum collegit; quæ quidem hodiè perquam exiguæ supersunt, fragmenta Caji, Pauli, Ulpiani, collatio Rufini, Codex Theodosianus & Basilica Leonis. Quæ si totum Jus complecterentur,

rentur, abundantius huic instituto servir-
 rent, etsi nunc eadem satis luculentam
 conferendi Copiam præbeant. Non
 tempero mihi, quin iterum Leonis illius
 philosophi institutum referam; illud
 unice ad usum spectasse iudiciorum. Hac
 causâ dicitur πάν ἐναντίον καὶ χρήσιν ἔπαρ-
 χόμενοι ἐν τοῖς πράγμασιν, ἀποκρίναι τε καὶ ὑπο-
 ἐξελεῖν, ἄλλὰ τὸ, ὡς εἰκός, πολλά τῶν ἀρχαίων
 νομοθετημάτων παραδοκιμασθῆναι τοῖς ὕστερον,
 ut Cedrenus, Harmenopulus & Blastares
 auctores sunt & res ipsa demonstrat.
 Ajunt, inquam, *Leonem omnia in legi-
 bus Iustinianais contraria nec usum in foro
 habentia inde secrevisse & abstulisse;*
*propterea quod veterarum legum multa
 à recentioribus abrogata fuerant, suisque
 Græcis utilia tantum & consonantia
 proposuisse: Reliquum jus Latinum
 indagatoribus antiquitatis relinquebat.*
 Hanc rationem æquè multoque magis
 esse nostri temporis nihil attinet denuo
 adfirmare. Verum scopus novæ lectio-
 nis atque collationis universi juris esse
 debet, ut quæ dictata boni & æqui in
 positionibus systematicis quæstionum-
 que

que decisionibus apud eas tractari solitis nondum percepta sunt, hæc è recessibus integri corporis legum, etiam ubi de rebus ab usu hodierno remotis agitur, sedulo conquirantur & ad loca summa, quæ pridem formata fuere, singula redigantur. Dum hoc autem studiosus naviter agit, novimus aliter fieri non posse, quin ubique incidat in scrupulos & difficultates intricatissimas, quibus tamen resolvendis & amovendis indefessam operam navare debet. Interpretes in hac obscurâ viâ lucem affatim præbent; sed ego tamen ita comperi atque ita meis amicis suadere soleo, ut eo modo textibus intricatis, etiam pro desperatis aut damnatis, ut loquuntur, habitis, incumbant, quasi nullus Interpretes esset in mundo. Nam si prius interpretationes varias consulere & expendere voluerint; in singulis paulò minus difficultatis invenient ac in ipsa Lege reperiunt, parumque aberit, quin idem illis eventurum sit, quod Patri Comico, qui consultis tribus Jurisconsultis discrepantibus, ita abibat ab illis,

*Fecistis, inquit, probe; Incertior sum nunc multò quam dudum. Ubi verò Tu vires ingenii judiciiue tui expertus fueris, siue inveneris, quod satis tibi videatur, seu nihil expedieris, tempus erit, ut Interpretes adeas, quo vel in tuis cogitationibus firmè, vel earum defectum ex eorum commentariis suppleas. Heic vero suave jucundumque spectaculum præbent, qui neglectâ priore via, quam per me licet appelles systematicam; incontinenti hoc examen universi juris occupant: quando loca, quæ non intelligunt, inopiâ doctrinæ juridicæ, continuo suis conjecturis, interpunctionibus, additionibus, subtractionibus, transpositionibus ac omni genere emendationum sæpe tam subtilium, ut uno spiritu diffuari possint, in suos intellectus sollicitant, cogunt, rapiunt. Me quod attinet, nolo doctior videri quam præstare me queam, ideoque libenter fateor, me nihil adhuc ausum esse proferre in lucem, quo hanc difficiliorem viam ingredienti adjuvarem regeremque, nisi forte in *Digressionibus*. Reliqui conatus mei*

adhuc

adhuc in priore decursu substiterunt, quod quidem ad partem studii theoreticam pertineat; pragmaticum & forense non facit partem hujus dissertationis. Quid autem posthac in illâ doctiore theoriâ sim præstiturus ultrâ domesticas operas, malo ab eventu expectari, quam sollicitationibus meis præsumi. plura Doctissime *Wijngardeni*, non habeo, quæ hæc horâ inter nos super hoc quæsito communicari possint. Dantur equidem & alia, quæ momentum in utraque studii viâ non spernendum faciant; Sed cum in actu magis & demonstratione præsentis quam in oratione consistere videantur, dabis veniam, heic ut subsistere nobis liceat. *Wijngardenius* novam parabat instantiam; quando *Bökelmanus*, ut abrumperet hos nimis studiosos sermones, libellum proferebat, cui præfixus erat titulus talis, *Ephemerides Eruditorum*, gallice conscriptus. Ratio, instituti notior est, quam ut eam pluribus exponi necesse sit. Verum *Bökelmanus* aperto libro incidit in hujusmodi titulum, *Ventriculi Querela &*

opprobria, operâ A S. Med. Doctoris Amstelodam. rursus alibi Cartesius Mofaizans Auctore N Amerpoel & id genus alia; quæ Auctor ephemeridum illarum prolixo elogio prosequabatur. Ad hæc Bökelmannus, Nonne vobis indigna res videtur, hos homines, qui scribendis hisce diariis Reipublicæ literariæ dant operam, alia quidem illis inserere atque laudare nullius momenti scripta, rursus alia magnæ frugis & solidæ eruditionis omittere vel frigide commendare, eoque modo se arbitros ferre meritorum atque famæ eorum, qui nomen aliquod inter literatos affectant? Mihi certe res non toleranda videtur, hujusmodi quoque nostratium libros, quorum inscriptiones vobis prælegi, & quos in his locis rarus lector inspectione dignatur, illic ut opera consideratione literati orbis digna commemorari, nec quicquam ineptiarum, Gallicarum omitti, quod fallendo aulicorum aulicarumque otio serviat; interea commentationes hominum doctissimorum in utraque Germania & alibi silentio damnari, vel frigidâ negli-

negligentique mentione, quasi quæ legantur indignas, tantum non ludibrio exponi: Neque sunt, quibus justior hac parte causa sit indignationis, quique iniquius sint habiti, quam Jurisconsulti. Ad hæc *Crusius*, nolim, Bökelmanne Clarissime, tam parvi animi querelam à te serio intelligere emissam. Quid enim quæso refert, tuum de Actionibus vel ad Pandectas, meumque ad L. XL. commentarium isti Ephemeridi insertum vel non fuisse insertum, magis quam si Novellis hebdomadalibus, ut sit, eorum nomina subjecta fuissent, aut non fuissent. Nisi tu putes multum interesse, menstrui an hebdomadales sint facti, de actis literatorum, an de Regum & principum, de pacis & belli negotiis sint compositi, aut nisi putes, invidendum esse Medicis & Artium Magistris, quorum laudes in novellis decantantur, præ aliis, qui modestiâ contenti famam ipsi non faciunt, aut fieri curant, sed expectant. Enimverò Non est difficile è lectione Ephemeridum istarum animadvertere, conditores illarum fere ex eorum esse

G 5

genere,

genere, de quibus Fabius scribit, *parva facile*. Sane jurisperitos adhuc quidem inter eos fuisse nullos, ipsæ ephemerides manifesto præ se ferunt. Proinde faciunt id quod fieri consentaneum est, ut de rebus, quas non didicerunt, aut nihil, aut valde parce tenuiterque loquantur. Et mea quidem auctoritas si quid apud eos valeret, rogarem Viros cordatissimos, ut Jurisconsultorum ordinem ephemeridum suarum memorialibus fastis eximerent singulorumque fato committerent, utrum famam haberent an mererentur. Quod si tu in aliquâ parte gloriæ ponis, nomen tuum in illis diariis, cum amplo elogio cumque speciosâ scriptiois tuæ historiâ conspici, ita censeo; scribas cum in procinctu es edendî aliquem librum, tuo vel typographi nomine, ad compilatores τ̄ νεαρῶν, quid pares emittere, quæ sit libri tui summa, quid in eo præcipuè excerpti laudarique cupias, imprimis ipsas Ephemerides earumque Scriptores fac aliquo sublimi charactere laudis adspergas. Sic tibi nullam causam fore pollicor hæc parte Salvio & Amerpoelio

poelio similibusque Heroibus invidendi. Nescio, regerebat *Bökelmannus*, quid ex meis verbis argumenti sumseris, ut meâ potius unius quam Jurisconsultorum communi causâ questum me esse putares. Quod si totum hoc genus tibi contemnendum videtur, non habebis me tam constantem adversarium, quam modo in causa systematum & Compendiorum expertus es. Proinde facile patior nihil esse commune Jurisconsultis cum diariis & Novellis istis eruditorum, si dîs placet; nisi quid *Huberus* dissentit. Ego vero dissentio, inquam, venerabiles *Symmystæ*, nec ullo modo consultum duco, ut homines elegantibus ingeniis & pari famâ notos ordini nostro inimicos reddamus. Nec enim ipsis ulciscendi ratio deesset, si intelligerent, nos de instituto suo tam inique sentire, quam vos in animos vestros inducere vultis. Credo, non amplius silentio nos omitterent, sed cum aliquâ notâ vel contemptus argumento scripta nostra suis fastis inmiscerent. Nescio, an non de meis Digressionibus, quæ continent obser-

vationes

variationes Iuris Humaniores, incontinenti forte scriberent, eas idem fere esse cum *Menagii Amœnitatibus Iuris Civilis*, etsi liber ille mihi nunquam visus foret, atque materia utriusque scripti nihil omnium inter se commune haberet; sola tamen inscriptionis similitudo ad speciem veri sufficeret, ipsos libros excutere nihil ad rem pertineret: Etsi autem illa Digressionum mearum cum Menagii libris comparatio mihi forte pudenda vel poenitenda non foret, tamen ex ejusmodi relatione simpliciter factâ imperiti facile opinarentur, me præcipuas observationes meas debere Menagio, utcunque sollicitè in præfatione monuisssem, siue laudandi conatus mei siue excusanda festinatio esset, propriis stylo & cogitationibus elaborata esse, quæ publici juris facerem. Caveamus igitur Viri Clarissimi, offendere vel irritare genus hominum, cui tam potens famæ instrumentum in promptu est. Videmus illas ephemerides in manibus omnium doctorum & indoctorum versari, care vendi, cupide legi, ut sit in rebus novitate

vitae suae lectori blandientibus. Et quamquam vera solidaque existimatio virtutis & doctrinae ab ejusmodi suffragiis non pendet, ideoque talia secus quam mereare, publicata magno animo sperni possint; tamen si verum est, contemptu famae plerumque etiam contemni virtutem, viri prudentis esse videtur, nulla publicae approbationis adjumenta, praesertim adeo late patentia adspernari. Est sane Jurisprudencia maxime ad gravitatem severitatemque doctrinae comparata, ideoque Gallis *veapōv* auctoribus, qui philosophia, mathematicis & amoeniore doctrina potissimum, ut apparet, delectantur, minus placuit, nec apta visa fuit ad agenda scriptum, quod totum recreando non minus quam erudiendo lectori comparatum est. Credo, genus hoc scribendi etiam ad Germanos vicinosque, uti sunt omnes populi novitatis avidi, transiturum. Germanorum, ingeniis propitia magis est Jurisprudencia Belgisque secundum illos aequae familiaris. Hi defectum, quem *Bökelmannus* in Gallis arguit, forsitan supplebunt, ordi-

ordinemque nostrum pro parte aliquâ literati orbis, habere non gravabuntur, atque, si juvat & refert, in ipsis suis diariis nihilo magis obliviscentur. Ego quidem hac gratia libenter illis utor, quod ex iis per compendium scire licet, quibus Auctores studia nitantur. Favendum est ingeniis seculi nec solis mortuis utendum magistris; neque decet esse tam fastidiosos, ut quæ maximo labore clari homines, aut qui inclarescere cupiunt, opera doctrinæ composuerunt, ea non modo legere, sed ne argumenta quidem summasque librorum cognoscere dignemur. Nolim igitur contendere, ut ordo noster, quasi interdicto ab hac scenâ Reipubl. literariæ excludatur; neque sane etiam ambire multo minus, ut ratio nostrum habeatur. Facile patior auctores uti arbitrio suo; duntaxat, ne faciant Criticas generales, sed ut simplicitate narrationis, quæ est propria diariis & novellis, contenti, abstineant omni judicio omnique crisi: hanc enim integræ cujusque scriptoris lectioni publicæquæ æstimationi relinquere oportebat.

Quod

Quod quidem eò magis requisitu necessarium est, quo difficilius evitatur; si quidem observare licuit, aliquos id serio in præfationibus suis pollicitos, in progressu relationum calore scribendi abreptos nihil minus præstitisse. Non defecerat adhuc materia dialogorum, sed reliqui convivæ *Bökelmanni*, qui magis verecundiâ nos interpellandi, quam suâ sponte in alio recessu amœnissimi horti substiterant, tandem affuebant, ut nobis valedicerent, hospitique gratiis actis, in urbem se reciperent; quod & à nobis post aliquot generosa pocula commutata mutuasque amicitix contestationes hilariter factum.

E R-

ERRATA.

- Pag. 20. lin. 14. corrige , *intellectivos*.
23. lin. 19. Lege , *florentis Romæ , quam à*.
29. sub fin. L. *Profectum* , pro *perfectum*.
36. in med. L. *Compendium*.
48. à med. L. *intelligenda*.
58. in pr. *Exemplis* pro *exempla*.
62. in fin. L. *Commentarios*.
82. sub fin. L. *Pleraque*.
95. L. *judicioque* & paulo post , pro hæc L. *hic*.

F I N I S.